BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
14 L
H 1

Digitized by Google

A

Digitized by Google

B = 97

Digitized by Google



IVLII CÆSARIS BARICELLI A S. MARCO,

Ciuis Beneuentani, Doctoris Medici, & Philoſophi,

De Lactis, Seri, & Butyri Facultatibus, & Vſu, Opuſcula.

Cum iucunda, tum vtilia, cum pleraque præter medicorum communem multorum opinionem notatu digna examinantur.

Acceſsit in fine de Chymico Butyro non inutilis conuentus.

Cum triplici Indice, Capitum nimirum, Auctorum, & rerum memorabilium.

Ad Perilluſtrem

D. IOAN. BAPTISTAM NANI, Baronem Regini dicata.

NEAPOLI apud Lazarum Scorigium. 1623.

Digitized by Google

12 - 14 - L - 1

Digitized by Google

Perilluſtri Domino

IOAN. BAPTISTAE NANI

Baroni Regini, & Feudorum Caſalis, & Montis Leonis Nobili Sauonenſi, Domino Colendiſsimo.

IVLIVS CAESAR BARICELLVS P. S.

IAm pridem pro eximia erga te obſeruātia, Perilluſtris Domine, quomodo particulare meæ deuotionis tibi poſſem oſtendere argumētum cogitaui. Cumque ſedula, & ſtudioſa id cura intuerer, & qua in re huiuſmodi voluntatis indicia, animique propenſionem ſignificare valuiſſem: Dubius eram, & in ancipiti verſabar affectu. Donare aurum, vel argentum diuiti, eſſe ridiculū

 aiebam:

aiebam:nam & illud retegerem dictum, quod in Delphi templi foribus erat inſculptum. Fama eſt ab Euripide factum.

Nolo tibi dare dona pauper diuiti,
Deſpicere ne putes me, vel dãdo petere.

Imò donare hæc temporis intercapedine, & curriculo in hominum obliuionem pertranſeunt; nec horum poſt aliquot annos reſtant monumenta. Stabilia fundamina eidem fortunæ committuntur, nã & ſeculi carie etiam Regum ædificia miris artibus conſtructa, mirabilique ſtructura condita corruunt. Vbi enim eſt Mauſoleum Regis Cariæ ab Artemiſia vxore conſtructum? Vbi Pyramides Regum Ægypti circa Memphim? vbi Rhodi Coloſſus à Charete erectus? vbi Moles Semiramis Aſſyriorum Reginæ in Babylone? vbi Romanorum luxus in Tropheis erigendis poſt victorias? vbi Cæſaris, vbi Pompei, & aliorum Triumpha? Equidem diruta ſunt, & æui vetu-

ſtate

ſtate conſumpta,adeo quod penes viuentes perpauca reſtant veſtigia.

Anceps ergo in cogitando fui, quid animi mei certitudinem, quæ nec æui tempeſtate deficeret, nec poſt præſentiũ obitum euaneſceret hominũ indicarem? Tandem nil firmius, nil certius fore in mentem venit,quam,in perpetuæ obſeruantiæ monimentũ; lucubrationes quaſdam meas Typis committere, & nomini tuo clariſsimo dicare: atq; famæ immortalitati conſecrare. Ita haud deuoti animi mei promptitudinem optatũ finem hanc habiturum verebar. Hac via dum in hominum conſpectũ apparebunt: non modò hac viuentiũ tempeſtate:ſed etiam poſtera, ſemper cum nomine tuo clariſſimo colligatus videbor, & labores mei per eorum ora volitabunt,eruntq; notiſſima,& obſeruantiæ meæ,& humanitatis tuæ omnibus argumenta.

Hæc ſunt illa Opuſcula, Perill. Domine,

ne,de Lacte, Sero, & Butyro, de quibus anno elapſo nõ ſemel Regini tecum diſſerui: quo tempore à ſalſis, & prurigi-noſis puſtulis moleſtatus, Serum Caprillum meo conſilio capiebas. Quia autem viuido es ingenio, acutoque excellis intellectu, plurimum ijs audiendis delectari videbaris. At mirum nec eſt, cum ab vnguiculis; vt dicam, in ſtudijs es connutritus, primò in almo Societatis Ieſu Romæ Collegio: mox in Bononiæ, & Patauij Gymnaſijs, in quibus non ſolum legalem ſcientiam, cuius gradum feliciter es conſequutus, auſcultaſti, verum atque naturalem philoſophiam, & cæteras morales ſcientias. Poſtremò à muſis educatus, omnia ea percepiſti, quæ nobili viro maximè conuenire iudicaſti. Hinc factum eſt, vt magna animi ſolertia, & rebus familiaribus, & bonis literis tempus tam aptè diſpenſes, vt & apud noſtrates maximæ ſis omnibus admirationi.

tioni.

Digitized by Google

tioni. Imò nemo eſt, qui de tua humanitate, placidis moribus, verborum ſuauitate, modeſtia, & magna in pauperes pietate non loquatur: nemoque eſt, qui ſubditos tuos benè fortunatos non noſcat; qui à tanto patrono, & tanto domino gubernantur. Accipe igitur, in debitæ gratitudinis ſymbolum, hos meos labores illa humanitate, qua à gratis ſeruis tuis munuſcula recipere ſoles, & nactus otium, ac rerum familiarium aliquando ſpreta moleſtia percurras; Alexandrum Magnum imitatus, qui inter ſpolia Darij Perſarum Regis maluit Homeri Opus, quam vnguentorum ſcrinium, quod erat auro, gemmiſque, ac margaritis pretioſum cuſtodiri, Ego quidem animi ſecuritate, & magna confidentia lucubrationes has, ſub tuo patrocinio in Orbis gyros committo: ſub tua protectione prælo ſunt demiſſæ, & ſub tuo clypeo per mundi

plateas

plateas peragrabunt: Vale interim, Deumque Optimum Maximum deprecor, vt vnà cum integerrima, & prudentiſsima Perilluſtri D. Ioanna Maria Nani Spinula vxore tua ſince[illegible]ta ſecundet. D. Vincentio Nani fratri tuo plurimum me commendo. A S. Marco, Calendis Iunij 1623.

DOMINO FVLGENTIO CARDINALI REGINENSI V.I.P. Iuueni magnæ expectationis, amico optimo.

IVLIVS CAESAR BARRICELLVS S.P.

DIù laboraui in quibuſdam meis lucubrationibus componēdis: eaſque Perilluſt. D. Ioanni Baptiſtę Nani dicaui, & ad te mitto: tu enim eius vices geris, eiuſque rationes procuras: quare nō alteri, quam ſuarum cogitationum ſcrinio committere debebam: ita ad eundem dominum, tanquam ad proprium patronum has peruenire poſſe confido. Te etiam in illarum patronum aduoco loco eius, ille enim dominus non ſolum ſuis rationibus te præfeciſſe videtur, verum atque virtutes ſuas reliquiſſe. Nam & in te modeſtia, & humanitas inſimul copulata videntur, animi hilaritas in recipiendis amicis, pietas, & optima iuſtitia in gubernandis eius ſubditis, quæ omnes in illo conſpiciuntur. Quare tuæ ſint partes in Liguriam ad eundem dominum, hos labores meos mandare, vt ſuum patronum, & optatum portum viſere poſsint. Vale, & ama Iulium tuum, ſicut amaris. A S. Marco.

Digitized by Google

PERILLVSTRI DOMINO

IO. BAPTISTAE NANI

Baroni Regini, & Feud. Caſalis, & Montis Leonis, Nobili Sauonæ, Domino ſuo colendiſsimo. S.

OPera medica D. Barieelli, quæ nuper ad me lata ſunt, ad te ſtatim venire curaui, Sciebam enim, quanta ſit auctoris in te obſeruantia, & quanta beneuolentia tua ſit in illum, quæ omnia, has eius lucubrationes tibi fore cordi, atq; gratas mihi perſuadebant. Equidem inter Neotericos ſcriptores, non paruam ille retinet conditionem. Propterea eius opera, eiuſque ingenium, tanquam notiſsimum referare haud opus eſt. Vale, & me ſeruum, & ſubditum tuum, quem mille beneficijs decoraſti continuò amare digneris. Regini, &c.

Seruus humillimus, & ſubditus tuus

Fulgentius Cardinalis.

AD

Digitized by Google

Ad Lectorem.

ACcedit ad tuì conſpectum, amice lector, tertius ingenij mei fœtulus, eoſdem ſperat amplexus, idemque cupit hoſpitium, quod olim primi habuere partus, ſecundus præſertim, qui vltra montes, ad tertiam editionem, Dei munere, euectus eſt. Timet autem inuidorũ calumnias, & obtrectationes: nam & in eo multa præter communem Doctorum ſententiam aliquorum adduxi, & exaraui; quod ſcribendi genus tantum ijs, qui ſeruile habent ingenium eſt exoſum, quantum optatum, liberis animis. & qui non ab aliorum pendent auctoritate. Ego, vt loquar ingenuè, magnos ſcriptores ſemper obſeruaui, imò confiteor ab iiſdem quicquid in me boni eſt recepiſſe: attamen in ſcribendo non ſemel aliquot deſerere coactus ſum, cum ratio aliter mihi perſuaſerit, quam ab ipſis ſit receptum. Etenim in ſcientijs, omnibus libera datur ſentiendi facultas, cum illæ ad metas haud vltimas ſint eductæ, vt aliud ſciendum non remaneat. Vale amice lector, & Opuſculis his fruere tu, ſi nolit inuidus.

Clariſsimo Viro
IVLIO CÆSARI BARICELLO
Medico ſuæ tempeſtatis egregio.

In eius Opus de Lacte, Sero, ac Butyro.

Admodum Reuerendi
D. PROSPERI ANTONII ZIZZAE
Sacerdotis, Academici Ocioſi nuncupat. Pij.

EPIGRAMMA.

LActis opes recludit opus, quia lactea fandi
Copia, & eloquio flumina lactis eunt.
Nam quis Naturę melius pateſecit operta,
Quis melius medicæ prodidit artis opes.
Seu modo ſudoris vires, cauſſaſque penetras,
Iamdudum Lepidum, quod legit Orbis opus,
Seu mobo Naturam Lactis ſcrutaris abundè,
Vnde ex maternis paſcimur vberibus.
Siue ſero quæ ſit, quæ ſit vis nata Butyro?
Quid loquar & docta ſcripta terenda manu?
Viue diù Cæſar: viuens nam proderis orbi,
Naturæ vt doceas abdita viue diù.

Admo-

Admodum Illuſt.& Reuerendiſsimi

D.ABBATIS ANTONII RAGVCII
Vicarij S.Sophiæ de Beneuento Generalis Viſitatoris.

Rimatus Lactis cauſas, penetralia pandis,
Naturæ, & calamo pingis abundè Serum;
Doctorum lites dirimis, confuſa retractas:
Et ſic ingenij fulget imago tui.

D. FABII MAZZELLAE I.V.P.

QVi cupit abſtruſas lactis cognoſcere cauſas,
Et quicquid medica præſtet in arte Serum:
Pinguis, & humentes vires, vſumque Butyri;
Hæc legat; ediſcet, quæ latuere diù.

MARCELLI BARICELLI PVERI.

SVgere molle parens, tenerum, natura puellum,
Lac docet, & vitæ lux alimenta parat.
Suxi care pater, matris libamina prima;
Iam ſugo, quod tu fundis ab ore melos.

DO-

D. IVLIO CAESARI BARICELLO,

Medico ſuæ ætatis inſigni.

In eius Opuſculum de Lacte, Sero, & Butyro.

Admodum Reuerendi

D. IOANNIS SYLVII BONELLI V.I.P.

EPIGRAMMA.

QVàm dulci eloquio referas, vt noſceret Orbis,
Hoc dulce inſtituis prodere Lactis opus.

Lac dulce, es dulcis, lac clarum, es clarus, honore
Es IVLI clarus, dulcis es eloquio.

Eſt opus hoc clarum lacte, eſt & pingue butyro,
Purgatumque Sero, qui legis iſta, vides.

CA-

Digitized by Google

Capita Opuſculorum.

INDEX CAPITVM Opuſculi Primi.

1 Proponitur lactis eſſentia, eiuſque cauſæ examinantur. fol. 1
2 De lactis natali, mammarumque actione, & vſu. 10
3 An Mares in mammis lac generent. 24
4 An virgines ante conceptum lac habeant. 28
5 De lactis ſubſtantia. 33
6 De lactis qualitate. 36
7 De laſtis bonitate, & electione. 46
8 De lactis differentijs. 52
9 De lactis vſu. 62
10 De generali lactis ſcrutinio. 76

CAPITA SECVNDI OPVSC.

1 Proponitur Seri definitio. 105
2 De Seri temperamento. 108
3 De Seri Vſu. 133

CAPITA TERTII OPVSCVLI.

1 Diſſeritur de facultate, & vſu butyri. 149
2 Acceſſit de butyro Chymico tractatulus. 159

FINIS.

Auctores, quorum teſtimonia in Opuſculis adducuntur.

A

ANtonius Fumanellus.
Andreas Libauius.
Antonius Torquemada.
Antonius Zara.
Altimarus.
Aretæus.
Alex. Trallianus.
Auguſtinus Gallus.
Auicenna.
Auerroes.
Ariſtoteles.
Amatus Luſitanus.
Andreas Laurentius.
Alexander Maſſaria.
Alexander Benedictus.
Aetius.

B

BErcorius.
Braſauolus.

C

CHriſtophorus à Vega.
Columella.
Carolus Stephanus.
Cardanus emendatus.
Crollius.
Cornelius Celſus.

D

DAuid Cruſius,

E

EMpedocles.

F

FLorus.
Fernelius.
Felicianus Capitonus.
Fortunatus Fidelis.

G

GAlenus.
Gaſpar Bauhinus.
Guarinonus.

H

HErodotus.
Hippocrates.
Hieronymus Eugubius.
Heſiodus.
Horatius Augenius.
Hollerius.

I

IOannes Conradus.
Ioannes Serap.

Iſaa-

K

Iſaacus Iudęus.
Ioannes Hucherus.
Ioubertus.
Iacobus Cappellus.

L

LVdouicus Mercatus.
Lelius à Fonte.
Leges Zambrorum.

M

MErcurialis.
Meſues.
Marcus Gattinaria.
Marcellus Donatus.
Metrodorus Sceptius.
Malleus Maleficarum.
Moyſes Sanctus.
Martinus Delrius.

P

PEtrus Matthiolus.
Proſper Alpinus.
Plato.
Plutarchus.
Plinius.
Paulus Aegineta.
Paulus Diaconus.
Petrus Apponenſis.
Penotus Aquitanus.

R

ROdericus Fonſeca.
Rufus.
Ramuſius.
Rondoletius.
Rubeus.

S

SChenchius.

T

TRincauellus.
Tibullus.

V

VIdus Vidius.
Veſalius.

Z

ZAcharias à Puteo.

F I N I S.

IN-

Digitized by Google

INDEX

Rerum memorabilium, quæ in Opuſculis continentur.

ACres oculorum fluxiones lacte mulgeri, 78
A Cynara, & Cnico lac coagulari. 106
Aconiti venenum coagulis curari. 124
Adenum natura eſt exanguis. 42
Aegiſtus à Capra nutritus. 65
Affectus ex ſicca intemperie adortos lacte curari. 79
Affectus cutaneos à ſero contemperari. 137
Agaricus adhibitus cum ſero. 136
Alexander à Vulpe ablactatus. 65
A lacte ſumpto ad ſolida cibaria tempus coctionis expectandum. 103
Aliqui profuſiſſimam aluum habuere, vti lacte coagulato caprillo, & ouillo coagulis. 122
Aluus ſiſtitur epoto coagulo. 124
Alba vteri purgamenta ſero caprino curari, 143
Amati Luſ. opinio de coaguli viribus. 126
Animalia, quæ non ſunt vtrinque dentata craſſum lac generant. 34
Animalia vtrinque dentata lac tenue conficiunt. 53
Animalia herbas ſolutiuas edentes lac laxatiuum procreant. 57
Anni tempora lactis differentias plurimas faciunt. 58

Angi-

Anginas curari lacte gargarizato. 66
Antiqui in Hydropis cura lacte Aſinino vtebantur. 69
An lac conueniat vlceribus. 81
Antiquorum conſuetudo de propinando lacte dyſentericis. 91
An in deiectione multi ſanguinis lac conueniat. 93
Aphrogala quid à Græci dicatur. 100
Aquifolia creditur aquam glaciare. 107
Aquã lactis calidi eſſe temperamenti ſecundum Meſuem. 110
Aqua hordei abſtergit, nec perinde calida eſt. 116
Ariſtot. & Galen. diſcordes de vſu primario mammarum. 16
Ariſtot. opinio de lactis ortu. 19
Ariſtoteles voluit lac in fœminis abſque conceptu fieri non poſſe. 30
Ariſt. ſcripſit ſanguinem eſſe frigidum. 36
Ariſtot. lapſus de lactis colore, & bonitate. 47
Arthetici ſeri potu a morbo præſeruantur. 140
Ardor vrinæ cum vlcere in collo veſſicæ ſeri potu conciliatur. ibid.
Aſininum lac multum habet de parte ſeroſa. 34
Aſininum lac in Tabe. 67
Aſinæ lac cum humano multam habere affinitatem. 68
Aſinæ lac expurgare, & contemperare poſſe. 70
Aſininum lac in Dyſenteria. 95
Aſininum lac cur detur hecticis. 117
Aſſarum cum ſero in hydrope. 136
Auctoris opinio de lactis bonitate. 49
Autumni initio lac craſſum in animalibus fit. 60

Auctoris experimentum de lacte exhibito in cardialgia. 82
Auctoris opinio de Seri temporamento. 116
Augenij lapſus. 128
Auctoris method. de ſero propinando. 136

B

Biliosi ſolent eſſe ſiticuloſi. 88
Blanda fricatio in mammarum papillis vterum titillat. 22
Bonitas lactis, quibus ſignis compenſetur. 46
Butyrum dum lac concreſcit ſupernatat inſtar olei. 34
A Bubulo vocari conſueuit. ibid.
Bubulum lac multum habet butyri. 51.53
Butyrum fit ex lacte vaccino. 74
In prima menſa eſt ingerendum. 100
Ex lacte Equarum poteſt confici. 131
Eſt pars lactis pinguiſſima. 146
Vetuſtate fit calidius. 151
Cum ſale conſeruatur, & fit calidius. ibid.
Laudatur, quando eſt recentiſſimum. 152
In maximo vſu apud Longobardos. 153
Varia eius genera apud Veteres. 152
Butyrum in aſtate laudatur colore flauum, album verò in hyeme. 153
Butyri vſus in multis affectibus. 154
Butyrum aſſumitur contra venena. ibid.
Cibus ſupernatat. 155
Adhibitum ad tumores. 158
Butyro aſſumpto corroberantia ſunt adbibenda. 156
Butyrum in obſonijs. 158

Buty-

Digitized by Google

Butyrum camphoræ. 161
Tartari. 162
Arſenici. 163
Sulphuris. 164
Antimonij. 166

CAro mammarum glanduloſa. 14
Cauſa cur lac fieri incipiat tertio, vel quarto menſe grauidationis. 18
Caro mammarum denſa tardè lactis generationem admittit. 19
Caribes in India carne humana veſcuntur. 23
Capri plerique in mammis lac habent. 25
Cardani opinio de lacte apparente in mammis in menſium defectu. 32
Caſeoſa pars in lacte craſſa eſt, ſeroſa, tenuis, butyroſa pinguis. 35
Cauſa differentiarum lactis, quæ ſit. 54
Capræ veratro in paſtu vtentes lac vomitiuum faciunt. 57
Caprinum lac, quando ſtomaco ſit magis amicum. 58
Caprinum lac cum Aſinino affinitatem habet. 72
Caprinum lac tuſſi confert extenuationi, & ſputo ſanguinis. 72
Caſeus butyratus ex Vaccis bufalis conficitur. 75
Caprinum lac, an catarrhis conueniat. 81
Cancer & Elephantia lactis potione miteſcit. 84
Caput dolentibus lac interdicitur. ibid.
Caſei proprietates, & vſus incommoda. 97
Caput, & flos lactis cibus iucundus. 98

Cha-

Chatarrus,& vrinæ ardor ſero caprino, & aſinino curatur. 143
Cerebrum glandoſum dicitur,& cur. 15
Cerebrum nen eſt inſtitutum ad cordis refrigerium. 43
Cibus iucundus ex lacte,ſacc haro,ouis, & mentha apparatus. 101
Condictio ſanguinis boni,quæ ſit. 7
Color rubeus accendit homines ad clades, & rapinas. 10.23.
Corpora glandoſa differunt à glandulis. 15
Coloſtrum in lacte quid ſit. 20
Coagulo addito in lacte ſeparantur partes diſſimiles. 33
Conciliatio Hipp.& Ariſt.de lactis generatione. 20
Color rubeus non ſemper notat caliditatem. 36
Coctio eſt perfectio à naturali;& proprio calido. 41
Concoctiones nutricis,quales. 64
Controuerſia in dictis Hipp.de lactis potu. 89
Controuerſia inter Aetium,& Trall.de lacte in Dyſenteria. 90
Corpora mollia parciori ſeri menſura ſatiantur. 144
Commoda,quæ a Butyro ſuccedunt. 155
Conſuetudo Neotericorum de Seri menſura. 145
Cur ſuppreſſis menſibus in ſana muliere fiant affectus. 9
Cur natura dealbat ſanguinem in mammis effuſum tẽpore grauidationis. ibid.
Chriſtopbori a Vega lapſus. 47
Cur lacte aſinæ,& capræ vti melius ſit. 71
Cur apud nos maximo in vſu ſit lac caprinum. 72
Craſſum,& caſeoſum eſt lac Ouium. 73

Cur

Digitized by Google

Cur ſerum,& lac cum ſero diuerſam habeant vim ſoluendi. 87
Cur lac faciliter corrumpatur. 88
Cremor tartari. 162
Cercellinus caſeus idem eſt, & qui in Valle Beneuentana comparatur. 108
Caprillum,& Ouillum coagulum reddunt caſeum acrẽ, & mordacem. 108
Conciliatoris lapſus de ſeri temperamento. 115
Caſeus extractus vi coaguli caprilli,vel ouilli mordax, & acer eſt. 120
Coagulum ignem habet intra ſe. 121
Caprillum,& ouillum coagulum, quid imprimat in ſero. 121
Coaguli caprilli,& ouilli vires. 123
Coagula an ſint eiuſdem naturæ. 124
Coagulum omne acre eſt. 125
Capræ helleborum,vel titimallum edentes lac vomitiuũ faciunt. 125
Coagulum conſtringit,& attenuat. 127
Coagulum an ſit ſtipticum. 125
Caſeus cur aluum non moueat. 129
Caſeus extractus à lacte fœminæ ſalacis cuius filij peribant. 131
Caſeus ſuillo coagulo inſpiſſatus,quam facultatem retineat. 131
Caſeus cur quandoque ebulliat,& putreſcat. 132
Cautela in adhibitione ſeri,in vlceratis inteſtinis. 139
Caniculæ temporibus ſerum abſque periculo ægris conceditur. 139

Deſtil-

D

Deſtillatio ſalſa à ſero mitigatur. 141
Deſtillatio ſalſa curata ſero correpto ſemine citri. 142
Differt ſanguis menſtruus in muliere ſana, & morboſa. 7
Differentiæ lactis in animalibus. 54
Differentia virium lactis crudi, & cocti. 102
Dyſenteriæ, & ſanguinis profluuia coagulis ſiſtuntur. 125
Dyſentericis, & Coli ex cruciatibus infunditur butyrum. 155
Dolores, & tumores vuluæ butyro correpti. 168
Doſis butyri. 158
Duæ medicorum Claſſes digladiantur de lactis natura. 40
Dulcedo lactis in venis concocti, maior eſt, quam in melle. 45

E

Effluit mulieri ſanguis veluti à victima, & citò concreſcit. 7
Equinum lac eſt tenuiſſimum. 35
Equarum lac coagulatur, & ex eo fit caſeus. 131
Aetate, qua redundant menſes, poteſt in fœminis lac redundare. 17
Excellentiſſima Princeps Collis de abortus periculo cõmemoratur. 21
Ex paſcuis lactis diuerſitas innaſcitur. 57
Ex nouitate, & vetuſtate lactis capitur differentia. 60
Explanatio de lactis potu in Dyſentericis. 91. & 92

Ex

Ex lacte multa edulia ſiunt. 100
Excellentiſſimus Pinceps Nicolaus Maria de Summa commemoratur. 108

F

Facultates Butyri. 152
Fęmina tunc eſt habilis ad prolem cum menſtrua erumpunt. 17
Fœtus maſculus, vt plurimum incipit moueri in vtero 3. menſe. 18
Fœtus in vtero an lacte nutriatur aliquando. 21
Fœtus cur diſsimili nutrimento in vtero, & extra vterum alatur. 23
Febres longæ, & paruæ, quæ ſint. 83
Febres diuturnæ ſunt pituitoſæ, & quartanæ, quibus lac competit. 84
Febres per interualla recurrentes ſero curantur. 140
Ferculum ex ſpuma lactis, & butyro. 100
Flatus hypocondriaci curati ſeri potu. 142
Fluxus menſium, & hæmorrhoidum comprimitur coagulis. 124
Frigida quæ ſunt, & liquida coagulãtur per frigus. 115
Fugiendum eſt lac animalium longè à natura humana diſſidentium. 49
Fuligo Butyri ad reprimendos fluxus oculorum. 159

G

Galeni opinio de lactis temperamento. 44
Galenus Dioſcoridem accuſat. 150
Galenus confusè de ſero ſcripſit. 129
Gallica lue emaciati, & hydrargiro illiti à lacte epoto reparantur. 82

Glandulæ in duplici ſunt differentia. 15
Gonorrhea curata ſero cum ſyr. roſar. perſic. 142
Grauidis, & puerperis lac fit ordine naturæ. 29
Grumus ſanguinis, & lac caſeatum in ſtomacho, coagulo diſſoluitur. 125

H

HIppocrates voluit fieri poſſe lac in fœminis abſq; conceptu. 30
Hippocratis opinio, vt fertur de temperamento ſanguinis. 36
Hippocr. in cura Cauſi vſus eſt lacte Aſinæ cocto. 70
Hiſtoria ſenis, qui vſu lactis centum annos vitam duxit. 76
Hiſterica paſſio lactis potu curatur. 83
Hydropicis lac caprillum commodum. 82
Hypocondria ſuſpenſa, & ſublata, quæ intelligantur. 83
Hypocondria diſtenta ſero curata. 143
Hilace lac quale vocetur. 99
Horatij Augenij opinio de lactis albedine. 43
Horatij Augenij ſententia de Seri temperamento. 115

I

IOſephus de Vito Medicus eruditiſſimus Beneuentanus commemoratur. 153
Illuſtriſsima D. Hippolita Caracciola commemoratur de abortus periculo. 21
Illuſtriſ. D. Hieroryma Brancia commomrratur. 113
Inflammationes, & durities vuluæ butyri corriguntur. 155
In principio menſæ butyrum commendatur. ibid.
Incommoda butyri quæ. 156

In

Digitized by Google

In arteriæ principijs inflãmationis butyro vtimur. 157
Inteſtina vlcerata ſeri auxilio mitigata. 139
Incendia iocinoris ſeri potu conciliantur. 141
In capitis morbis ſerum an adhibitum ab Hippocrate. 141
In cura febris malignæ an ſerum conueniat. 142
In ſeri adhibitione præparatio eſt compenſanda. 144
In ſana muliere menſtruum nec noxium, nec veneficum. 7
In mammis conſideratur ſitus, & compoſitio. 16
Infantes quando fiant coloſtrati. 20
Infans cum moueri incipit in vtero lac in mammis fieri conſueuit. 18
Iu æſtatis principio lac in animalibus laudabile fit. 59
Infantes ob nutrimentnm ad vitia, vel prudentiam inclinationem habent. 64
Ilia ſuſpenſa à lacte læduntur. 86
In febribus acutis cum bilioſis deiectionibus an lac interdicatur. 88
In Dyſenteria quando lac adhibendum. 90
In lactis exhibitione præſtabit à pauca incipere quantitate. 103

L

LAc bonos generat humores. 76
Lac quibus affectibus vtile. 78
Lac non omnibus tabidis vtile. 81
Lac contra Acezitum, & Tapſian. 78
Lac hepatis calores, & renum maximè attemperat. 82
Lac non ſemper noxium caput dolentibus. 85
Lac podagra affectis vtile. 82

Lac quibus interdicatur. 84.85
Lac in calido ventriculo corrumpitur. 88
Lac in cura dyſſenteriæ. 89
Lactis preſſi vſus. 97
Lacticinijs an aqua ſuperbibenda. 108
Lac coctum, cum craſſo edulio, quale. 101
Lac ad nutricatum vt ſit dandum, & ad alterationem, quale ſit. 101
Lac vbi conſeruandum. 102
Lac ne coaguletur in ſtomacho, vt ingeri debeat. 101
Lac cum piſcibus in menſa reijcitur. 103
Laurentij Iouberti opinio de Sero. 110
Lac Aſinæ temperatius ob ſerum. 118
Lac à coagulo quid recipiat. 120.122
Lac quomodo inſpiſſetur. 120
Lactis coagulatio, quid ſit. 126
Lactis ex coagulis differentia. 131
Lactis virginalis parandi ratio. 162
Lac ſulphuris. 163
Lac acidum quomodo fiat. 61
Lacte vtimur duplici ordine. 62
Lac matris pro nutricatu melius. 64
Lac in collyriis oculorum. 65
Lac in auris dolore. 66
Lac gargarizatum oris phlegmonas mitigat. 66
Lac muliebre pro mania curanda vtillimum. 67
Lac aſinæ puerperæ ſanguinem euomenti accommodatum. 69
Lac aſinæ præſeruat ac renum calculo, & ſputo ſanguinis. 69

Digitized by Google

Lac caprarum vlceribus veſicæ, & nocumento coitus ſuccurrit. 72
Lac ouium ad reſtringendos alui fluxus. 74
Lac bubulum multum habet butyri. 34
Lac caprinum abluit,& abſtergit. 74
Lac ficulneum quid faciat in ſero lactis. 128
Lac quale iudicetur electum pro nutricatu. 35
Lac craſſum vtile ad comparandum prouentum. 35
Lac ſuo tomperamento quale ſit. 39
Lac eſt calidum ſecundum aliquos. 40
Lac diù ſeruatum aceſcit. 41
Lac ſanguine calidius. ibid.
Lac non albeſcit ex glandulis. 43
Lac cur propinetur hecticis. 44
Lac effuſum differt à non effuſo. 45
Lac in venis quo calore muniatur. 45
Lac ſine albedine morboſum. 47
Lac ante ſeptimum menſem ſalſum,& inutile. 50
Lac in pecudibus cur aliquando ſit amarum. 57
Lac vitioſum facit corpora cacochima. 58
Lac in mammis vi retentum;groſſius ſit. 60
Lactis ſcrutinium magni eſt momenti. 1
Lac eſt cibus electiſſimus. 2
Lac medicina emolliens aluum. 2
Lac ab Auerr.aſſimilatur materiæ primæ humiditatis radicalis. 2
Lac eſt ſanguis concoctus, & in mammis dealbatus. 36.41.2. 2
Lac excrementum vtile tertiæ coctionis mammarum. 2
Lac eſt ſuperfluum vltimi alimenti. 3

Lac in maſculis non fit à menſtruo. 4
Lac, & menſes vnam habent ſubſtantiam. 3
Lac gignendi facultas fœminis à natura fuit conceſſa. 4
Lac in maſculis non ſemel viſum. 4
Lactis doctrina, quæ medicina pars ſit. 10
Lac in fœminis cur non ſemper. 17
Lac an fieri incipiat tertio, & quarto menſe grauidationis. 18
Lac cur modò citiùs, modò tardiùs tempore grauidationis fiat. 19
Lac, quod prægnantibus fit 8. & 9. *menſe vtile non eſt.* 20
Lac quandoque è mammis refluit ad vterum. 21
Lactis copia grauis puerperarum, quando refundatur ad vterum. 22
Lac verum à non vero quomodo differat. 26
Lac an fieri valeat ante conceptum. 28
Lac apparens in mãmis an notet menſium defectum. 29
Lac ante conceptum apparens, quale. 31
Lactis ſubſtantia ſimilaris non eſt. 33
Lepra, & ſcabies efferata ſero mitigatur. 139
Lhoc ex butyro cui præſtet. 153

M

Materia lactis eſt ſanguis exactè coctus. 3
Mamillarum temperies cauſa generationis lactis. 9
Mammarum ſitus. 10
Mammæ in mulieribus cor defendunt. 11
Maribus data ſunt mammæ, & cur. 13

Munus

Munus nutriendæ prolis fœminis conceſſum. 14
Mammarum vſus qui. 15.& 17
Maſculus in vtero citius mouetur quàm fœmella. 18
Maxima datur ſocietas inter vterum,& mãmas. 21
Mammæ in ætate tenella paruæ ſunt,creſcunt autem cũ vtero. 22
Mammarum inſpectione vteri affectus detegitur. 22
Marium lac verum non eſt. 27
Mammæ qua neceſſitate à natura ſint comparatæ. 42
Mammarum facultas duplex. 47
Manardi opinio de ſeri temperamento. 113
Malitia butyri qualiter colligatur. 152:159
Menſtruum reddit terram, velut acetum, & mordet vterum. 5
Menſtruæ euacuationes cur ceſſent in grauidis. 6
Menſtruum mulieris virus eſt contra ſcarabeos,& erucas. 5
Menſtruum rapiens ad caput,epilepſiam ſuſcitat. 6
Medicamenta repellentia transfundunt lac è mammis in vterum. 22
Menſes mulierum,quandoque è mãmarum pupillis funduntur. 22
Mercurialis opinio de lacte apparente ſine conceptu. 31
Menſura lactis aſinæ;quanta eſſe debeat. 70
Melancholici à lactis vſu maximè adiuuantur. 81
Mel cum lacte miſceri debet. 102
Methodus pro lacte capiendo. 103
Menſura lactis,an deſcribi poſſit. 103
Myrabolani ad lac coagulandum. 106
Mel diuturnitate amareſcit. 113

Mel eſt iniiciendum in ſeri propinatione. 134
Melancholia curata ſero cum ſucco boraginis. 142
Menſura ſeri quanta ſit. 143
Methodus ſeri propinandi. 144
Myrabolani cum ſero. 135
Moyſes carnem cum ſanguine Iudæis interdixit. 23
Mulieres tempore menſtrui extrudebantur à Zăbris. 5
Mulier annorum 60. lac habens in mammillis. 32
Muliebre lac difficile concreſcit. 35
Muliebre lac Tabificis præſtat. 67
Multi pueruli lactis potu ſanati. 68
Multæ nationes lac ſumere conſueuerunt. 76
Multa medicamēta ſolutiua ex accidēti refrigerăt. 119
Muliebre lac temperatiſsimum. 119
Mos veterum in ſero propinando. 143
Modus parandi ſerum. 138
Morbi ab atra, & aduſta bile lactis potu curantur. 84
Morbi capitis a cauſa frigida à lactis potu grauiores fiunt. 85
Multi à lacte concreto profuſam aluum habuere. 122
Mora ſanguinis in mammillis ad lac faciendum, eius caliditatem pronunciat. 41
Multis ex fęminis celerius ſolito ob calidam naturam ſuperueniunt menſes. 17
NAtura homini pro alimento lac comparauit. 63
Natura animaliū cauſat differentiă in lacte. 56
Nephritici à ſero quando opem capiunt. 141
Nutrix qualis eſſe debeat. 50
Nerui, venæ, & arteriæ inſunt in corpore glandoſo: ſed non in arterijs. 15

Nu-

Nutricis color qualis eſſe debeat 47

O

Occaſio lactis hauriendi. 103
Obſtructionibus lac noxium. 96
Opinio aliquorum circa lac, an conueniat fluxibus cruentis. 94
Opinio aliquorum dicentium ſerum eſſe calidum. 109
Oleum habet affinitatem cum butyro. 152
Oleum butyri. 159. 169
Oleum, ſeu butyrum lactis. 161
Omne lac poteſt coagulis condenſari. 130
Ouillum lac fertilius caſeo eſt, quàm caprinum. 53
Ouinum lac pingue, ſed minus quàm bubulum. 73
Ouillum, & caprillum coagulum acre eſt. 122
Oxigala quomodo fiat. 61
Oxigala, quibus poſſit conuenire. 98
Oxigala, vel lac coagulatum quando ingeri debeāt. 100
Oxigala, & Aphrogala quid ſit. 153
Ordo, quo vtitur natura ad tranſmittendum ſanguinē in mammas. 14

P

Papulæ inueteratæ. Vari liuidi ſero curantur. 139
Parens natura nihil fruſtra operatur. 17
Partes diſſimiles in lacte coagulo ſeparantur. 34
Paſtores noſtri lac coagulo denſare ſolent. 107
Pecorinum lac magis caſeoſum, quam vaccinum. 55
Perill. D. Thomas Carrafa commemoratur. 152
Perypneumonia ſero curata. 142
Perill. D. Ioannes Baptiſta Nani cui hæc ſunt dicata Opuſcula commemoratur. 123

Petri Matthioli opinio de ſeri qualitate. 210
Perfectio lactis apud Tabias. 80
Pecudes recentibus herbis vtentes, lac faciunt aquoſum. 58
Potio ex lacte, & vino apud veteres familiaris. 75
Porcinum lac ſubtile, & aqueum. 55
Potio lactis ad cardialgiam, & alias ventriculi eroſiones commoda. 82
Polypodium cum ſero decoctum. 136
Pollutiones ſeminis frequentes ſero mitigantur. 141
Plinij lapſus. 157
Præparatio ſeri ex Aetio. 107
Probatio ſerum eſſe calidum. 112
Profluuia muliebria, & celiacæ paſſiones coagulis ſupprimuntur. 125
Phreneſis, & melancholia à ſero recipiunt auxilia. 137
Præparatio ſeri ex Dioſcoride. 146
Pthiſis ſi à lacte non curatur, incurabilis iudicatur. 80
Pinguedo cur minus ſanguine nutriat. 56
Pinguiſſimum butyrum ſit ex Oue, & Capra. 152
Pyriaſten lac quale ſit. 99
Puellus extra vterum cur ſanguine non nutriatur. 23

Q

QVando à lacte ſiant lapilli in renibus. 60
Quale lac non affert periculum, & quale multum. 77
Quando ſerum cum ſale, & melle ſit adbibendum. 87
Quando à ſero epoto vermes, & flatibus in corpore ſiant. 87
Qualitas butyri quæ. 151

Quibus

Quibus grauidis mammæ repentè gracileſcunt, abortus eſt vicinus. 22
Qui morbi ſero curari debeant. 137
Quomodo intelligatur locus Hippocr. mammas excipere humorem excrementitium. 15
Quomodo lac tutò ſumi poſſit. 72
Quomodo lac dici poſſit calidum, & frigidum. 80
Quo tempore lacticinia ingeri debeant. 100
Quomodo butyrum aſſumptum corrumpatur. 156
Quid intelligatur per ſiticuloſos. 88

R

Radix apud Indos, quæ ita aquam vt vinum condenſat. 106
Rabarbarum cum ſero propinatum. 135
Recocta vires, vſus, & incommoda. 47
Recocta bis extrahi poteſt à ſero. 132
Renes expurgantur à lapillis ſeri auxilio. 140
Romulus à Lupa lactatus, quos mores habuerit.

S

Saccharum inijcitur in ſeri propinatione. 135
Sanguis in teſtibus albeſcit, & in ſemen vertitur. 14
Sanguis cur refluat ad mammas tempore grauidationis. 19
Sanguis ſuperfluus nutritioni, demittitur in teſtes. 31
Sanguinem eſſe frigidum à multis ſuſtentatur. 36
Sanguis quia calidus, idcirco lac eſt calidum. 38
Sanguis ad mammas collectus, an furorem ſignificet. 47
Sal, & mel, an ſemper lacti inijciendum. 71
Sanguis menſtruus vtilis, an noxius ſit. 45

Sanguis menſtruus, & quantitate, & qualitate poteſt peccare. 5.6.9
Sanguis menſtruus vitioſus creditus ab Ariſt. 5
Sanguis, quo nutritur fœtus, & menſtruus non differunt. 6
Sanguis in ſana muliere ſolùm quantitate peccat. 8
Sanguis quomodo diffundatur ad mammas tempore grauidationis. 9
Schiſton lac quale ſit. 99
Sciſsile lac, quibus competat. 97
Scriptores diſcordant de ſeri temperamento. 44
Sententia de ſanguinis coagulatione in iugulatis cadaueribus. 37
Senibus lac ſalutare. 79
Seri deſcriptio à Galeno. 106
Serum extrahatur ope caloris, an frigoris. 106
Serum crudum, & coctum dicitur. 107
Serum habet clementes vires purgandi. 109
Serum à multis tenetur eſſe frigidum. 113
Seminis ſuppreſſi grauiora ſunt pericula, quam ſanguinis menſtrui. 7
Serum in mollibus corporibus inflãmationes ſedat. 114
Serum tota natura eſſe calidum non admittitur. 116
Serum dupliciter conſiderari. 117
Seri temperamentum compenſari natura animaliũ. 118
Serum Aſinæ temperatius caprillo. 118
Serum diuiſum à lacte differt à non diuiſo. 119
Serum quomodo extrahatur à lacte. 119
Semen Cnici lac ſpiſſat. 129
Serum à coagulo nouam recipit facultatem. 124.128

Serum cur potius vergat ad calidum, quam ad frigidum. 127
Seri variæ facultates. 133
Serum à quo bis fuerit extracta recocta frigidum eſt, & humidum. 132
Seri temperamentum ex multorum aſſertione. 135
Serum vigoratur in operationibus melle addito. 139
Serum cum ſeminibus frigidis pro renibus. 136
Serum quos humores ſoluat. ibid.
Sero caprillo cum ſcamonio in quo vſus eſt Gal. 137
Serum ex longa coctura medicatius. 138
Serum cum helleboro nigro in Mania. 144
Serum chalibeatum in becticis, & ſputo ſanguinis. 140
Serum deſtillatum in febre ardente. 142
Serum in palpitatione cordis. ibid.
Serum quando valentius operatur. 145
Seri præparatio ex Maſſaria. 146
Siticuloſi læduntur vſu lactis. 88
Sperma mulieris comparatur lacti. 3
Spuma lactis gratiſsimus cibus. 98
Soluitur diſcordia de vſu Mammarum inter Galenum, Ariſtot. 16
Stagiritæ fundamentum de ſanguinis temperamẽto. 37
Si Mola fuerit in vtero lac non generatur. 28
Subſtantia lactis qualiter compenſanda. 33
Suillum coagulum reddit caſeum dulcem, & ſtomaco gratum. 108
Suggillata, & hypophagmata ſero curantur. 109
Suilli coagulum, quam qualitatẽ imprimat in caſeo. 120
Succus ficulnus commodus ad lac ſpiſſandum. 120

Sup-

Suppreſſis menſibus varij affectus,& ſymptomata oriũtur. 6
Syrus quidam lactauit proprium filium. 24

T

Tabes nullum habet lactis potu præſtantius remedium. 66
Tabes dorſalis, & ſenium Philippi lactis potu curantur. 86
Telephus à Cerua nutritus. 65
Thoracis ac pulmonis partibus lac vtile. 77
Thamarindi exhibiti cum ſero. 135
Totum lac non poteſt profusè aluum mouere. 130
Tralliani opinio de lactis potu in Dyſenteria. 91
Tres ſeri præparandi regulæ. 233

V

Vaccarum lac craſſiſſimum,& pingue. 74
Vetulæ maleficæ puellorum ſanguinẽ ſugunt. 23
Vega,& Fonſeca, quid de lacte ante conceptum defendant. 32
Vena cum aperitur omnes humores funduntur. 38
Veris initio animalia lac aquoſum faciunt. 59
Veneno ex lepore marino, & Cantharidibus lacte ſuccurritur. 78
Venere extenuati,& inualidi vſu lactis reficiuntur. 82
Ventriculus copia excrementorum oppreſſus,à lacte magis læditur. 84
Veteres vtebantur ſero ad aluum emolliendam. 109
Ventriculus imbecillus butyrò læditur. 156
Viri in quibuſdam locis Indiæ maximam in mammis lactis copiam habent. 25

Vire-

Virorum, & fœminarum mammæ ſtructura, & ordine differunt. 25
Virgines ex menſium defectu extenuatæ; lacte vigorantur. 82
Vlcera pulmonis, quandoque à menſtruo ſanguine fiunt. 6
Vlcera pudendorum lacte curantur. 63
Vlcera renum, & veſſicę à lacte contẽperantur. 84. 144
Vlcera capitis inueterata ſero curantur. 139
Vlcus purulentum Lyenteriæ ſero curatum. 143
Vbi lac in ventriculo malè coquitur flatus ſuſcitat. 6
Vnde caſei Cercellini fama inſurrexit apud multos. 108
Vrina calida eſt temperamento. 111
Vſus ſeri in quibus Quartanis vtilis. 140
Vſus Butyri, qualis. 154
Vſus ſeri noxius in rubris maculis apparentibus. 142
Vſurpatur ſerum duplici ordine in corporibus. 158
Vrinæ ardor lacte compeſcitur. 76

FINIS.

Errata

E R R A T A.

2	Baluea	l.	Balnea
5	Vircis	l.	Virus.
11	non vt	l.	nam vt
13	pupillàm	l.	papillam
18	mentibusq;	l.	menſibuſq;
21	Domino	l.	Domina.
23	Bamuſij	l.	Ramuſij.
29	manibus	l.	maribus
57	redentibus	l.	recentibus
66	partum	l.	potum
71	ſalſigo	l.	ſalſugo
77	humilitatem	l.	humiditatem
77	at in	l.	at ſi
84	obſeruatur	l.	obſtruatur
88	melioratum	l.	melicratum
90	non ſuo	l.	non ſcio
91	arrodet actio	l.	arridet Aetio
127	Monardum	l.	Manardum
133	accipir	l.	accipite
136	proponatur	l.	propinator
145	ſuperedit	l.	ſuperadit.
145	præſtatutum	l.	præſtaturum
	bonore	l.	honore in epig. incip. Quam
	lacuere	l.	latuere in epig. incip. Qui cupit

IVLII CAESARIS BARICELLI

à Sancto Marco, Ciuis Beneuentani, Medici Phyſici,

DE LACTIS FACVLTATIBVS, ET VSV.

OPVSCVLVM I.

Proponitur lactis eſſentia, eiuſq; cauſæ examinantur. *Cap. I.*

EA ſunt hominum ſcribentium ingenia, vt ſæpè animum in id admoueant, quo poſteris, ſtudioſis plurimùm prodeſſe cogitent. Quia autem lactis ſcrutinium, eiuſque partium in Medicina factitanda maximi eſſe momenti iudicatur: idcirco de eius ratione, & vſu hiſtoriam retexere conſideraui. Multa enim ardua in morbo-

Digitized by Google

rum aliquot curatione; & corporis nutricatu occurrunt, quæ illius ope, & eius partium cognitione diſſoluuntur. Hinc ſcriptorum diſſentiones conciliantur: Hinc animus legentis conquieſcit. Et quid amabò in Diœtetica, & Pharmaceutica ratione optamus, quod in lacte non exiſtat? lac eſt cibus, & ſelectiſſimum nutrimentum, vt proinde Auer. 5. Collig. cap. 44. illud aſſimilauerit materiæ primæ humiditatis radicalis: idcirco magis nutrire, quam cuncta cibaria, Lac eſt medicina benedicta, cum ratione ſeri aluum citet, & emolliat. Ex lacte inſuper Cataplaſmata, Collyria, Fomenta, Epithemata, Embrocæ, Clyſteres. Baluea, Collutiones, Edulia, & alia remedia feliciſſima apparantur. Quantæ igitur vtilitatis Opuſculum hoc ſtudioſis futurum ſit, lector ipſe iudicabit. Veniamus ergo ad eius eſſentiam.

Lac eſt ſanguis concoctus, atque mammillarum, & glandularum ope in colorem album mutatus. Capitur hoc ex Gal. 1. de ſanit. tuen. cap. 6. quando dicebat. A ſanguine, lac gignitur, exiguam in mammillis mutationem adepto. Confirmauit hoc ſeptimo de Hippoc. & Plat. Decretis, cap. 3. Tetigit Ariſtot. 4. de Gener. alias cap. 8. Hinc Amatus Luſ. ſuper 2. Dioſcor. Enarrat. 64. dicebat. Lac eſt ſanguis in carne mammillarum glandulofa iterum coctus: quæ dum concoquit rubrum colorem aufert, & album inducit. At Ioannes Hucherus lib, 3. de ſterilit. ſic lactis eſſentium expreſſit. Lac excrementum eſt benignum, & vtile tertiæ mammarum coctionis, *vt ſemen eſt teſtium*, ex quo fœtus alimentum intus, foriſque promen-

mendum ſit. In mammillis ergo lac conficitur, nam ſanguis qui prius erat in venis,& arterijs in eas tranſmiſſus, per nouam alterationem dealbatur, ex mora enim in mammillis nouum recipit colorem. Hunc ita depinxit Tibull. lib. 3.

Mox etiam niueo fundere lacte parent.

Sed accedamus ad eius cauſas, ita enim lactis eſſentia magis lucidabitur. Eius materia ſanguis eſt; vt ex definitionibus allatis viſum eſt: at videamus quæſo, qui ſanguis ſit, ex quo lactis materia oriatur. Equidem ſi Gal. legimus. 16. de Vſu part. 10. non ex omni ſauguine lac generari; ſed eo, qui exactè eſt coctus reperiemus: quod inde in 7. cap. 22. Lac vtilis alimenti eſſe ſuperfluum dicebat. In huius confinio ſemen eſt, nam, & ipſum ex ſanguine exquiſitè confecto deriuatur, vt in 2. de ſem. videre eſt in Gal. Sanguis enim ſi ad mammas tranſmittitur, medijs illarũ glandulis in niueum colorem mutatur, at ſi in teſtes medijs glandulis albeſcit. Quod iure optimo ex eodem in libr. de Anatom. viuorum, lacti comparatur ſperma mulieris, quaſi lac, & ſemen, & ortu, & ordine concurrerent.

At inquiramus, quæ pars ſanguinis iſta ſit, quæ exactè concocta, valeat in lactis ſubſtantiam reduci. Idem in 14. de vſu part. vt oſtenderet, tàm ſemen, quàm lac, à ſanguine exactè concocto deduci, dixit lac, menſtruo eſſe germanum: quod confirmauit in lib. de Venæ ſect. aduerſus Eraſiſtràtum, innuens, lac, & menſtrua vnam habere ſubſtantiam, atqne à corporis alimenti ſuperfluo prouenire, nec ſine ratione;

lac etenim, & ſemen ſi à ſuperfluo alimenti haud fierent: quippe viuentia nec lactare, nec toties coire abſque vitæ diſpendio valerent. Hoc voluit Plutarchus in lib. de Amore parentum: & Matthiolus in initio lib. 6. Dioſcor. Hoc Medicorum Academia, lac ſcilicet à ſanguine menſtruo generari, tanquam à ſuperflua ſanguinis parte, quæ ſupererat, alito corpore determinat,

Sed incidimus in maximam difficultatem, viſi enim ſunt mares in Vberibus, lac habere, vt teſtatur Hieronymus Eugubius in libello de lacte; & Marcellus Donatus in 6. de Med. Hiſtor. cap. 2. & tamen notum eſt in maſculis lac non fieri ex ſanguine menſtruo. Huic dicimus lac gignendi mulieribus à natura fuiſſe cóceſſam facultatem, & merito, vt fœtui ædito miniſtrare poſſent nutrimentum: maſculis autem, quia ad id non erant addicti, denegatam fuiſſe quomodo autem ex maribus nonnulli in vberibus lac generent, in quæſtione propria inferius enucleabimus.

Diſcutiamus modò à qua parte ſanguinis menſtrui lac proueniat, in hoc enim negotio ſcriptores noſtri non minimum diſcordes eſſe videntur. Conueniunt omnes ſanguinem hunc excrementum eſſe, & tanquã ſuperfluum ſingulis menſibus per vterum excludi; at digladiantur acerbè, cum horum aliqui excrementum vtile eſſe contendant, aliqui verò inutile, atque noxiũ. Videamus ergo in quo ordine ſanguis hic ſit reponendus, vt controuerſias dirimere valeamus. Eſſe menſtruum inutile excrementum, ac qualitate noxium non modò clariſſimorum virorum auctoritas,

verum

verum atque & leges, & ratio ipſa perſuadere videntur.

Ex legibus Zambrorum. Mulier fluentibus menſibus ab hominum conſortio eliminabatur, & vrebantur loca, ab iiſdem pedibus contacta.

Admirandus Hippocr. in primo de Morb. mulier. tex. 21. de menſtruo ſanguine, eiuſque qualitate verba faciens dicebat. Et radit terram velut acetum, & mordet vbicunque mulierem contingerit, & vteros exulcerat.

Galenus imitatus Hipp. in lib. de Atra bile cap. 8. de hoc ſanguine ſic diſſeruit. Singulis menſibus ſanguinis portio inutilis, & ſuperflua, non quantitate ſolum: ſed etiam qualitate excernitur.

Ariſtoteles ille ſummus Philoſ. ſanguinem hunc, & vitioſum, & malè affectum eſſe pronunciauit. 4. de Nat. animal.

Plinius lib. 7. & 28. nec non, & Columella. Non modò ſanguinem hunc vitioſum eſſe; verum atque venenatum credunt: Illius enim, inquiunt, contactu nouellę vites areſcunt, exuruntur hortorum germina, ſpecula obumbrantur, canes guſtantes in rabiem furiunt: & mulierculæ ſuos amaſios menſtruo hoc ſanguine faſcinare ſolent.

Metrodorus Sceptius de hoc verba faciens iunuit. Mulieres, ſi menſtruationis ſpatio, nudatę ſegetes ambiunt, erucas, vermiculos, ſcarabeos, ac alia noxia animalcula mori facere. Tale enim à natura ijs vireis inditum eſt, vt nos in Hortulo noſtro geniali attulimus.

Sunt & plerique alij, vt Heſiodus, & Florus apud Plu-

Plutarch.qui ſanguinem hunc vitioſum, & virulentũ eſſe aiunt.

Inter Neotericos Fernelius doctiſſimus lib. 7. ſuæ Phiſioli & quantitate, & qualitate peccare hunc ſanguinem aſſeruit,& proinde alimentarium haud eſſe, atque longè abeſſe à ſanguine,quo fœtus nutritur.

Valleſius lib.2.Epidem.ſect.2.Com. 17. Menſtruas euacuationes ceſſare in grauidis aſſeruit, quia lactant: at non eandem eſſe materiam earum,& lactis; Nam menſtrua ex peſſimo ſanguine fieri ſupponit, lac autem ex bona. Hinc Collegium Conimbricenſe. 1. deGener.& Corrup.quęſt.25. fœtum nutriri ſanguine menſtruo voluit,ſecreta ab eo fęce, & ſordibus, in quibus credidit malam qualitatem ineſſe.

Inſuper & ratio ipſa, imò experimenta quotidiana ſanguinem hunc veneficum eſſe teſtantur; ſi enim ſupprimitur, & diuerſi affectus, & varia ſymptomata ſuccedunt. Si quidem hic in cerebrum effluit, Epylepſiam,& Melancholiam ſuſcitare poteſt. Si in Ventriculum inappetentiam, & malaciam. Si firmatur in Epate Cathexiam,hydropim,hicterum. In Liene obſtructiones,Scirrhum.In Pulmone vlcera,& tabem. In corde ſyncopim.In Vtero ipſo, & vlcera eryſipelata,inflãmationes,& varios morbos; quos ſi velis percurrere,vide Hipp.1.de Morb. Mulier.

At in contrarium validiſſima fundamenta, certioribus firmata rationibus exiſtunt,quibus non differre ſanguinem,qui ſingulis menſibus per vterum excernitur ab eo, quo tum fœtus in materno vtero nutritur,tum viſcerum parenchimata creſcunt autumant,

quo

quo fit,vt ſanguinem menſtruum,& laudabilem natura ſua,& ſola quantitate redundare fateri cogamur.

Sic hypotheſis hæc prius certa, & indubitata: Sanguinem mēſtrualem diſſimilem eſſe in ſana muliere, & morboſa,ita Hippocr.in 1. de Morb. mul. longiſſimè diſſeruit; vbi, & condictiones ſanguinis ſanæ & cacochimæ explanauit: quo ſtante in ſana muliere non noxium, non veneficum, non inquinatnm,nec mala qualitate eſſe dotatum; ſed tantum quantitate redundare aſſerimus: in morboſa autem, quia tota maſſa ſanguinis inquinata eſt, multa incommoda afferre, quæ omnia ab Hippocrate recitantur loco adducto: ratio eſt,nam quod optimum eſt, ſi vitiatur in peſſimum abit, ſic ſeminis grauiora, quam ſanguinis ſuppreſſi pericula aſpicimus, eo quod ſemen purius eſt,& magis ſpirituoſum: Proinde in ſana muliere menſtrua ſuppreſſa,ſi affectus pariunt,illius puritatem potius arguunt,quam malitiam.

Vt autem hæc omnia veriſſima appareant, probemus intentum noſtrum à ſanguinis boni condictione. Hic ruber eſſe debet,qui citò concreſcat. Has condictiones expreſſit Hippocr.in 1.de morb. mul. dum dicebat de ſana muliere. Effluit mulieri ſanguis velut à victima,& citò concreſcit.Galenus 3.de ſympt.cauſ. inſuper ſanguinem menſtruum,quantitate peccare, & præter naturam haud eſſe edocuit.

Nec video, vnde diſſimilitudo, quam iſti confingunt,poſſit oriri,cum apertè noſcamus, ſanguinem; qui determinatis periodis à natura extruditur,eandem habere cauſam,quo carnes nutriuntur,eandem mate-

Digitized by Google

riam: Imò idem eſt Iecoris calor,& eædem ſunt conſeruantes venæ.

Vnanimes ſunt Hippocr. Ariſtot. & Galen. propterea in mulierum frigidiori natura hunc ſanguinem ſupereſſe, vt concepto,& formato fœtui pro alimento deſeruiret: itaque finalis cauſa ſanguinis menſtrui eſt, vt cedat in alimentum.

De puritate,& vi alimentaria huius ſanguinis, qu per vterum excernitur,ipſamet natura fidem pręſtat: immittit enim illum in mammas, vt exinde lac oriatur: ſignum hoc euidentiſsimum eſt, nam nutricibus menſtrua ſupprimuntur: Et lac ex puriſsimo ſanguine fieri voluit Hippocr. in libro de Natura pueri.

Si in ſana muliere tantæ malitiæ,& prauæ qualitatis hic ſanguis: vt plerique aſſerunt exiſteret: vtique multa ſequerentur abſurda,fœtus enim puriorem ſanguinis partem ſi traheret, & reliquus eſſet noxius, & venenatus, nonne hic tanquam effrenis illam occideret? non ne temporis curriculo fœtum dirimeret? non ne hac cauſa generatio deficeret?

Sola igitur in ſana muliere quantitate ſanguinem menſtruum ſuperabundare aſſerendum eſt, atque eiuſdem eſſe naturæ,coloris,& temperamenti, ac reliquus,quo carnes nutriuntur, qui in cauæ trunco reſidet. Nec perinde, quod excrementum dicatur, terrere nos debet,nam ex eo appellatur. quia hoc ſanguine carnes connutritæ, quod illius ſuperfluit in venas refundunt,& ex hoc lac generatur.

Sunt igitur rationes ſuperiùs adductæ contra noſtram ſententiam futiles; & leuiſſimi momenti, ſicuti

enim

enim plurima incommoda in cacochyma, & morboſa muliere, vt Hippocr. in 1. de Morb. mul. determinauit, ſunt admittenda, & vt Capiuaccius in Praxi retulit: ita in ſana, & optima conſtituta neganda, in ijs porrò non differt ſanguis à ſanguine, quod ſi eius ſuppreſſio grauiſſima interdum parere ſymptomata obſeruamus, non vtique ex mala, & genuina illius qualitate contingere tenendum eſt, ſed potius vel ſua mora, vel quia cum ipſo noxij miſcentur humores, quo fit, vt ſanguis malignam acquirat qualitatem.

Diſcuſſa eſt lactis materia, idcirco ad alias cauſas progrediamur. Efficiens, ſiue generatrix eius cauſa, & mammillarum temperies, & earum ſubſtantia glandulоſa eſt: Hæ rubeum ſanguinem, quem per multiplices, frequenteſque venas ſuſcipiunt in album colorem commutant, & lac efficiunt, vt inferius longius diſſeremus. Finalis cauſa lactis generandi duplex eſt: vna priuatam mammarum nutritionem, & naturam reſpicit, altera communis eſt, fœtus ſcilicet alitio, cuius gratia ſanguinem ab vtero ad mammas circa quartum menſem dirigere natura incipit: ſed euidentius, multoque vberius natalibus menſibus 7.9.10. licet vltimis iis menſibus adhuc benignum neque exiſtat, cum & ſi dulceſcere, & concoqui incipiat, probati tamen alimenti non iudicatur. At forma lactis color albus eſt, & ſubſtantia mediocris, alendoque fętui idonea. Vtique naturæ iudicatur occultum eſſe conſilium in lacte albificando, vt ab ipſis vitæ foribus infantem humanitate aſſueſcere prouideret: cuius index albus color eſt, vtque morum feritatem abhorre-

re doceret, quam rubeus, quaſi à cędibus, & rapinis color accendat. At hæc inferius diſcutiemus.

Vt autem huic capiti finem imponamus, non erit à propoſitis alienum diſcutere; lactis doctrina, quæ medicinę pars ſit; Theorica, an practica. Ex verbis enim Galeni 3. Alim. de facult. 16. dubium exoritur, dum ita loquitur. Hæc de lactis qualitate nouiſſe in præſenti opere ſufficerent, eius namque vtilitates, quas in morbis præſtat, propriè ad medendi rationem pertinent. Nam his Gal. innuere videtur lactis facultates in morbis attinere ad praxim, cum tamen alimentorum doctrina theoricam reſpicere iudicetur, vt idem quoque de medicamentis ſit ſtatuendum. Pro ſolutione dicendum, tum alimentum, tum medicamentum dupliciter poſſe conſiderari, vel quoad eorum vires, & facultates, & tunc ad partem theoricam diriguntur. Quatenus verò corpus reſpiciant, ſiue ſanum, ſiue ægrum ad practicam, ſiue ad methodum tuendæ ſanitatis. At ſi corpus affectum tabe, ſcilicet, vlcere, aut alio morbo; ſecundum hanc rationem ad methodum medendi, hæc poſſe conſtitui iudicamus.

De lactis natali, mammarumque actione, & vſu. *Cap.* 2.

VEniamus modò ad lactis generationem, & ad mammarum officia, vt ea, quæ ſuperiùs à nobis adducta ſunt clarius percipiantur, ſunt mammę locatę, ex naturæ maxima prouidentia in anteriori parte thoracis, deſeruiunt

uiunt enim ad cordis nobiliſſimi viſceris robur, illudque à multis externis iniurijs defendunt. Ipſis autem, quia muſculis, brachij pectoribus incubant, non ſolum per vaſa thoracis facilitas, & occaſio conceditur, vt copioſiſſimus ad eas ſanguis influat; verùm atque ob calidam, & feruentem illam regionem ad lactis procreationem plurimum ſit adiumentum. Profectò inter mammas, & cor magna conſpicitur comitantia, dum enim mammæ ab occurſantibus accidentibus cor defendere alliciuntur: illud vi ſua æſtuante, quaſi ad parem gratiam, tum lactis generationem, tum illarum munera, & actionem diſponit.

Cæterùm alijs ex cauſis in fœminarum pectore mammas natura confixit; non vt voluit Plutarchus in lib. de amore prolis, hoc ſitu, mater ſimul, nutrire, amplecti, & oſculari poteſt filium ſuum, quod illis iucundum, & vtile eſt. Credo inſuper eodem conſilio naturam, locum hunc, mammis conſtituiſſe tum verecundiæ, & charitatis gratia, tum ne partes obſcęnas detegere inter lactandum, brutorum inſtar, mater cogeretur. Reliquis autem animalibus non in pectore eas affixit: ſed in ventre, nec ſine prouidentia, cum talium pectus anguſtius, & carinatum ſit, & illa quatuor pedibus incedant: proinde mammarum locus in ventre commodior pro alendis catellis fuit iudicatus, quia non egent hęc cordis tegmento tali, nam & prona terram ſpectant: ſecus fuit in mulieribus, cum illę latum pectus retineant, rectæque procedant.

Nec ſolum ſitu mulierum mammę à brutis diffe-

runt; ſed etiam numero, ſiquidem mulieribus ex naturæ pręſcripto geminę datę ſunt mammę, tum, vt ſeruetur ęquilibritas vtriuſque lateris, tum, vt ſi vna ęgrotaret, poſſet altera commune ambarum officium exercere. Alio etiam naturę conſilio mulieribus mammæ pares datę ſunt, vel enim, vt earum numerus vteri ſinuum ęquaret numerum; quemadmodum enim duplicem mulier vteri ſinum habet, ita duplicem mammam, vel vt geminos poſſet nutrire. At animalibus, quę plures fętus edere ſolita ſunt, multiplices datę ſunt.

Hinc legitur in mundi primordio ad gentium dilatandam copiam, binos quolibet partu edere ſolitas mulieres, maſculum ſcilicet, & fęminam: at his temporibus quando gentium numerus infinitus eſt, non niſi in fęcundiſſimis mulieribus numerus hic conſpicitur: & maior etiam, licet ex pręſcripto naturę minimè fuit.

Ariſtot. 7. Hiſt. anim. cap. 4. In Aegypto mulieres tres, & quatuor fętus, & quinque etiam partu edere aſſeruit, quod etiam tetigit Horatius Aug. in lib. de Hom. partu, & Gellius lib. 10. cap. 2.

Sub Zenone Imperatore mulier vno partu ſeptem enixa eſt. Paulus Diacon. in lib. de geſtis Longobard. cap. 1.

Helionora Saluiata Florentina vno partu duos, & quinquaginta eſt enixa, nunquam paucioribus tribus vno partu, Iacobus Cappellus in fragmentis. Infinita etiam eſſent exempla, & caſus huius negotij, & plura, & veridica poſſem adducere teſtimonia: ſed in

ta\\

Digitized by Google

tali materia, reſtet in præſentia deciſum, tales partus præter naturæ legem fieri, & euenire.

At fœminis licet geminæ datæ ſint mammæ, in ijs tamen ſemper aliqua conſpicitur differentia, præſertim prægnantibus. Nam alijs nimis amplę, & plenæ videntur, in alijs vel graciles, duræ, ſolidæ, magnæ, vel paruę exiſtunt: Hinc legitur in Gal. 2. de Differ. morb. cap. 9. nonnullis immodicè vnam, vel alteram increuiſſe. Et Cardanus correctus lib. 8. de variet. cap. 43. Narrat, quamdam mulierem, mammis virilibus extitiſſe, quę tamen adeò prolifica erat, vt etiam quandoque vno partu geminos ederet. Et Hollerius inter rara num. 6. Vidiſſe mulierem ait, quæ in altera mamma duplicem pupillam lac reddentem habebat. Sed de his ſatis.

At oĩbus cõe eſt ex naturę artificio pręter adipem & pupillas, mammas, glanduloſa habere corpora vaſorum myriadibus inter texta, quibus ſolis, facultas lactis procreãdi inſita eſt, vt teſtibus vis ſeminis generandi. Inſuper glanduloſum eorum corpus, nec vnicum, nec continuum, quale in multis animalibus viſitur, ſed multiplex eſt, & ad ipſas venę arteriæ multæ, atque nerui feruntur, ex quo fit, vt earum ſenſus exquiſitiſſimus ſit.

Maribus etiam mammæ conſpiciuntur, ſed diuerſo ordine, & ſtructura fabricatæ, atque vſu à natura diſpoſitæ. In ijs enim cute tantum, adipe, & papillis conſtant, videnturq; ad robur contentarum partium, ornatum, & titillationem conflatę, ne forſitan mulier, fœminis ſolum mammas fuiſſe conceſſas gloriaretur; glan-

glandulas verò, quibus lac generandi tribuitur, minimè retinent, nam, & hoc munus pro nutrienda prole ſolum fœminis conceſſum videtur, quod autem maribus etiam, non nullis lac in mammis conſpicitur in ſubſequenti cap. diſcutietur.

Caro igitur glandulosa eſt in cauſa, vt in fœminarum mammis lac conficiatur, nam, & fętum nutrire debebant, eſt enim lac à natura productum in illius adiumentum, & alimoniam, idcirco poſt conceptum, & partum apparet, cum ſanguis tranſmiſſus ad mammas glandularum opera dealbatur, & ad formam lactis reducitur, quod in teſtibus, vt tetigimus euenit, vbi ex glanduloſo corpore ſanguis albeſcit, & in ſeminis naturam conuertitur: nec eſt dicendum, vt volebat Empedocles, ſanguinem in mammillis corrumpi, cum in lac tranſmutatur; ſed concoqui magis, à caloreque potius mammarum, & ex noua coctione albeſcere, vt Ariſtot. decretauit.

Sed accedamus ad viam, & ordinem, quo vtitur natura ad ſanguinem in mammas tranſmittendum, vt ex eo lac generetur. Hoc belliſſimè docuit Gal. 7. de vſu part. 22. An non vides, quod cum natura poſſet ex vena maxima, quę ſurſum ab hepate per phrenas fertur, quam cauam nominant, productionem aliquã ad mammas ducere, id non fecit, tametſi ea prope mammas eſſet? Sed prius ſurſum ad cor duxit, & per totum thoracem traduxit: poſt autem cum iam prope claues perueniſſet, illinc duas venarũ cõmemorabiliũ, duas etiam cum eis arteriarum productas propagines, quatuor ſimul eas infra per totum pectus dedu-

deduxit: eoque modo binas demum vtrique mammillæ inſeruit, in tam longo iſto itinere, id modo agẽs, vt plurimum in vaſis ſanguis eſſet percoctus: qui cum fertur ſurſum per cor ſanè iter fecit, rurſuſque deorſum tendens occurrit, excoquiturque ſemper quidem à motu ipſius thoracis; & in his eiuſmodi vagationibus incaleſcit, parti motu perpetuo prędite immoratu, quę omnia ad perfectam coctionem conferunt. Hęc ille.

Sed inſurgit dubium non pauci momenti ex verbis Hippocr. in lib. de Glandulis. Similes ſunt mammarum, & glandularum opportunitates, vniuerſi enim corporis ſordes abſorbent; quod etiam Galen. videtur confirmare, dum glandulis actionem omnem denegat. Sed huic obiectioni cum eodem Galen. reſpondetur in 16. de Vſu part. cap. 2. Glandulas in duplici verſari differentia, quędam enim ſtabiliendis tantum fulciendiſque vaſis, aut humorum ſuperuacuis excipiendis, aut rigandis partibus dicatę ſunt, alię, quę ad ſuccos animali vtiles generandos à natura ſunt comparatę; illę nec venas, nec arterias, nec neruos obtinuerunt, hę vaſa habent conſpicua, ſenſuque exquiſitiſſimo pollent; Illę verè, & propriè glandes dicuntur, hę glandoſa corpora rectius appellantur: ſic teſtes, & renes, glandoſa ab Hippocr. & Gal. dicuntur corpora, & cerebrum 14. Method. med. cap. 11. glandoſum etiam dicitur ratione ſubſtantię: Nec turbet nos Hippocr. locus in lib. de Gland. vbi aſſeruit mammas; excrementitium humorem ſuſcipere, namque id, ijs neque ex vſu vt adenes, neque ex officio, vt alia

emun-

emunctoria, ſed ex partium potius laxitate; & commoditate recipiendi contingit, quemadmodum, & cerebrum id facere ratione loci conſpicimus, & ex modo ſubſtantię, quod ab interioribus ſurſum producitur facilè excipere obſeruamus. Habent igitur mammę propriam actionem, & vſum lactis generandi, atque thoracis tuendi, quod munus per ſe ijs competit, per accidens verò ob partium laxitatem, & commodum quandoque ſuperuacuos humores ſuſcipiendi, vt notauimus.

Sed quis ſit mammarum primarius vſus, maxima videtur diſcordia inter Galen. & Ariſtot. Ille enim vſum primarium mammarum, lactis eſſe generationem, ſecundarium verò cordis tutelam defendit: negat hoc Ariſtot. ſed primarium vſum eſſe ad cordis tutelam coarguit, vltimum ad lactis productionem, Sed conciliemus amabò talium virorum diſcordiam. In mammis duplex fit conſideratio; ſitus ſcilicet, & compoſitio: ſi conſideramus ſitum, quatenus eas in pectore natura loeauerit, vtique confiteri ad cordis tntelam affixas eſſe principaliter oportebit, ſecundario ad lactis generationem. Sin verò compoſitionem ex glandulis, adipe, & vaſis primariò ad lactis generationem fuiſſe fabricatas, poſtremò ad cordis robur conciliandum aſſeremus. Sic quieſcit diſcordia: alter enim ſitum, alter verò compoſitionem conſiderauit.

In mammis ergo lac procreari viſum eſt, at quo tempore incipiat, & qua fęminarum ætate diſcutiendum puto. Equidem illud fieri à ſuperfluo alimenti,

atque à ſanguine menſtruo,credo me apertiſſimè demonſtraſſe: quare ea ętate iure gigni ſupponendum, qua hic ſanguis redundare viſus fuerit. Ille enim non in tenella,nec in graueſcente ſuperat, ſed vt plurimum à decimo quarto anno ad quadrageſimum quintum, aut quinquageſimum: idcirco in iſtis temporibus procreari ſtatuendum eſt. Omitto aliquas fęminarum, quibus ob calidius temperamentum celerius à decimo quarto anno menſtrua erumpunt: & quibus longius à quinquageſimo perdurant, quò fit, vt lac, & celeriùs, & longiùs à conſtituto tempore videatur: nam & hoc nec omnibus, nec ſemper contingit. Satis ſit perſiſtente lactis materia, illud procreari, & ceſſante,illius generationem deficere; etenim ad eundem vſum,mammæ videntur ſpectare, ad quem vterus dirigitur; ad propagationem ſcilicet: nam parens natura, quę nihil fruſtra operatur, eo direxit opus,vt lac procreatio, tunc fieret,cum ad alendum partum eſſet opus;& ſic comparatum eſt,vt non qualibet ętate illud fieret, ſed tantum vigente, tunc enim fœmina habilis eſt ad generandum.

At nec illud ex naturę pręſcripto ætate vigente ſemper generatur,ſed tantum cum vtile exiſtit, quod ſolum ſuccedit,cum in vtero fętus abſolutus fuerit,& eiuſdem etiam naturę adminiculo perſeuerat, dum ab infante à mammis ſugitur: nam ſi cibis ſolidioribus ille vtitur, & à ſuctione abſtinet, vel matri nouus conceptus euenerit, quippè illius deſinit generatio in mammis, nam hic eſt naturę ordo, & hoc eſt opificium.

Sed videamus quid de hac re dicat Hippocr. Hic in lib. de Natura fętus hęc adnotata reliquit. Simul atq; moueri cęperit infans, ſui tum notam lac matri exhibet: Quare videamus diſtinctius, qua parte conceptionis lac in mammis fieri, & apparere incipiat. Per hęc verba videtur Hippocrat. annuere tertio, vel quarto menſe lac fieri, nam; & his menſibus infans tanquam conformatus poteſt moueri. Capitur hoc à verbis eiuſdem in ſecundo Epidemior. ſectione 6. text. 23. cum dicebat. Trimeſtris puerulus omnia habet manifeſta, & lac tunc habet. Si multum fluat lac, neceſſe eſt, vt langueat, quod in ventre eſt: ſi ſolidiores ſint mammę, magis ſanus eſt embrio.

Sed cum lac nutritionis ſolius gratia ſit comparatum, eoque non nutriatur in vtero puer: ſed extra, dubium oritur, cur ante ſeptimum, ac tertio, quartoue menſe generetur, cum illius nullus ſit vſus; aut cur primis poſt conceptum diebus, mentibuſue non fiat ille ab vtero ad mammas refluxus, vt tertio, quartoue menſibus? Hippocr. in lib. citato, vt huius quęſtionis nodum dirimeret, fętum maſculum moueri attulit, vt plurimum tertio menſe, fęmellam verò quarto. Sunt autem aliqui pueri, qui ante hoc tempus mouentur, forſitan ob maiorem viuiditatem. Mouetur enim primùm maſculus, quia fortior eſt, quam fęmella, primùm quoque conformatur maſculus, nam & à fortiori, & craſſiori genitura innaſcitur. His ſtantibus ait Hippoc. fętum tertio, quartoue menſe grandiorē, vaſa ſanguinis comprimere copia tumentia: hinc ex compreſſione, expreſſionem ad partes ſuperiores fieri.

Sed

Sed intimiùs hæc verba penetremus. Equidem primis menſibus natura maximam ſanguinis copiam impendit, primum ad parenchymam, & carnoſarum partium generationem, deinde ad earum nutritionem, & augmentum, quò fit, vt vllæ ſanguinis reliquiæ ſuperſint; & ſic in primis menſibus lac non conficitur, quia deeſt materia: in tertio, quartoue menſe cùm fętus moueatur, eo quod abſolutus eſt, natura nutritioni eius tantummodo ſtudet, cui perexigua opus eſt alimenti portio, exiguus enim fit partium exhauſtus: proinde in venis vteri redundat ſanguis, è quibus ob fętum grandiorem iam factum, atque calcitrare incipientem, mole, ac motu compreſſis ad superna refluit, atque ad mammas multis ex cauſis præcipuè deducitur. At fęminis, quibus caro denſa eſt, lac poſterius prodit; quibus verò rara multò prius, vt ipſemet Hippoc. dixit in lib. de Nat. pueri.

Sed incidimus in dubiũ non leuis momenti, quod ex verbis Hippocr. capimus. Hic 2. Epidem. ſect. 3. tex. 34. hæc attulit. Lac nutrimento mutationem accipiente, octimeſtri verò perficiente. Quæ ſententia diuerſiſſima eſt à priori adducta, in qua lac tertio menſe fieri, & non in octauo volebat. Hanc controuerſiam videtur Ariſt. in 4. de Gener. animal. cap. 8. decidere, dicens, ſeptimo menſe primum fieri mulieribus lac vtile, ac concoctius, & copioſius, ante id tempus exiguum eſſe, & inutile, quod appareat.

Quæ verba Ariſtot. licet quodammodo dubitationem concilient, non per hoc ſequitur omnimodo veritati adhęrere, nam nec octauo, nec nono menſe

lac vtile in prægnantibus fit, & eo magis in tertio, ſiquidem etiam vſque ad peractum tempus expurgationis ſunt enixis, quæ vocantur coloſtra. Sunt enim coloſtra, auctore Plinio lib. 28. cap. 9. prima à partu ſpongioſa denſitas lactis, quaſi infantes nutriuntur, coloſtrati fiunt, & à morbo afficiuntur. Vt autem conciliemus Hippoc. & Ariſtot. dicamus lac in grauidis tertio, quartoue menſe inutile eſſe, nulliuſque valoris, in ſeptimo, & octauo nutrire quidem, ſed cum aliqua incommoditate, melius in nono; ſed non acquirere bonitatem, niſi peracto partu, & dempta coloſtratione. In his autem menſibus, vt lac fieri valeat ad mammas ſanguinis recurſus iure demandatur, vt hiſce rationibus comprobamus.

Conueniebat potius ad mammas, quam ad alias partes ſanguinem effluere, tum ob viarum commoditatem, tum ob vteri, & mammarum ſympathiam, ſeu potius vt partus nutriri poſſet: ad lactis procreationem aſſueſceret natura illuc ſanguinem deferre: & in mulieribus etiam ſanguis ad vterum potius, quam ad nares aut hęmorrhoides recurrit, vt exinde generationis, atque nutricatus puelli reſultet commoditas.

Conſilio etiam naturę ad mammas ſanguinis datur recurſus, vt ille ſollicitaret quodammodo fętum ad exitum quærendum: Si enim totus in vteri venis conſeruaretur, nec vlla eius portio ad mammas aſcēderet; quia fętus intus in vtero ſufficientem haberet alimoniam, ſibi exitum nunquam attentaret. Hinc Hippocr. iure ſibi perſuaſit vnicam partus; defectum ſcilicet alimenti, eſſe cauſā, & puelli ſtimulū ad exitū.

Non

Non nulli ad mammas ſanguinem fluere contendunt, vt fętus quandoque inedia in grandiori ætate oppreſſus connutriri valeat, quod videtur annuere Hippocr. in lib. de Nat. pueri, dum dixit. Et eo lacte fruitur aliquantulum puellus. Hoc etiam Galen. 5. Aphor. 37. apertius. Cuius verba ita intelligenda duximus, puellum ali lacte, ideſt ſanguine in mammarum venis recluſo, qui proxima eſt lactis materia, vel ſanguine, qui prius erat lac, iterum recurſus ad vterum, non enim nutritur lac, vt ſugat: ſed ſanguine, per venas vmbilicales. Nam ſi ante diem partus, ille valde fameſceret, facilè naturæ prouidentia, poſſet lac album ad vaſa deſcendere, iterum concoqui, & in ſanguinem verti, vt illi eſſet alimentum; non enim à veritate alienum eſt, à mammis ad vteri vaſcula lac poſſe deſcendere, & iterum in ſanguinem commutari; nam pręter, ex nutricibus, & puerperis, quod capitur quotidianum experimentum, eſt tanta inter has partes comitantia, & ſocietas, vt recurſus inter vtraſque non raro contingat.

Equidem per venas vteri, atque mammarum, vt bene Hucherus lib. 3. de ſterilit. adnotauit, lacte, mammas, in vterum, ſanguine menſtruo, vterum in mammas ſe ſe exonerare datum eſt: ſic enim redundantem menſium fluxum; appoſita ſub mammis cucurbitula magna ab Hippoc. cohiberi docemur. Hoc præſidio vſi fuimus in Excell. Domino Principe Collis, & Illuſtriſſima Domina Hippolita Caracciola vxoris Illuſt. Domini Ioannis Franciſci Brancia in abortus periculo. Sic lactis puerperarum grauem copiam die

ſepti-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſeptimo puerperij octauo,nonoque in vterum refundi experimur. Sic lactis collectionem à puerperarum mammis,mox à partu repellentium medicamẽtorum circa mammas adhibitione; & ab vtero affluentis ſanguinis repreſſione prohiberi. Sic blanda, ſuauique fricatione papillarum vterum ſuauiter affici, fierique voluptatis,& titillationis participem.

Hac de cauſa,& propter maximam ſympathiam,in ętate tenella,paruę ſunt mammę: creſcunt autem ſimul cum vtero, quando menſtrua erumpere incipiũt, atque duos digitos attolluntur. Hinc etiam fit, mulieres quaſdam ſuppreſſis menſibus ſanguinem ſtatis periodis, certiſque circuitibus per mammarum papillas profudiſſe, vt Amatus Luſit. Centur. 2. Cur. 2. in duabus mulieribus obſeruauit. Idem notauit Braſauolus in com. 40. Aphor. 5. Hac comitantia etiam viſum eſt,lac quibuſdam mulieribus per veſſicam, & vterum excluſum, vt Gaſp. Bauhinus in Obſeruationibus proprijs, & Andreas Laurentius lib. 1. Anat. Quęſt. 20. affirmant. Nutricibus etiam refluente ab vtero ad mammas ſanguine, ſupprimuntur menſes. Inſuper ex mammarum inſpectione,vteri affectus detegitur. Hoc retulit Hippocr. 6. Epidem. ſect. 5. Si mammarum papillæ, & quod in eis rubet, palleſcat, morboſum eſt,vas. Denique mammarum conſpectus fętus in vtero ſanitatem, & morbum denuntiat: Si enim vtero gerenti mammę repentè gracileſcant, abortit ex Hippocr. 5. Aphor. 37. Hęc, & alia conſenſus vteri,& mammarum ſunt certiſſima argumenta.

Sed cur eodem nutricatu puellus in vtero, & extra illum

illum minimè alatur tangendum eſt: equidem in vtero ſanguine puriſsimo alitur, extra vterum autem lacte dulciſſimo. Huic quæſito dicendum, naturam, ne infantes inhumani, & ſanguiuori fierent, ſic conſtituiſſe, rubeus enim color ad rapinas, & ad cędes accendit, vel forſitan, ſi è mammis ſanguine alerentur, ne ea ſuctione venarum oſcula aperiri contingeret, & ſanguis naturę theſaurus effluerent.

Hinc ſanctiſſimus Moyſes 9. Geneſis carnem cum ſanguine Iudęis interdixit. Omne, quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum, excepto, quod carnem cum ſanguine non comedetis. Hęc ille. Cuius prohibitionis, [*auctoritate Feliciani Capitoni, & aliorum*] miſtica eſt ſententia, vt abhorrentes ſanguinem ab homicidijs cauerent, proinde natura etiam abhorruit puellum extra vterum ſanguine nutriri, ne ad clades, hominumque perniciem pronus eſſet, quod in Orbe nouo manifeſtum apparet, vbi quoſdam homines Caribes vocatos ex relationibus Bamutij exiſtere habemns, qui quia carne humana veſcuntur, ſanguineq; ſatiantur, adeò inhumani ſunt, vt ijs crudeliores alij non reperiantur. At ſunt crudeliſſimæ, & homicidæ multę hac ætate, vetulę, maleficę, quę puellorum ſanguinem ſugunt; de quibus per otium legito Malleum maleficarum, & Martinum Delrium in Diſquiſitionibus Magicis.

An

An mares in mammis lac generent. *Cap. 3.*

ACcedamus modò ad promiſſum quęſitum, An mares lac habeant? Equidem in mammis lac fieri probauimus, ſed quia & maribus, & fœminis à natura fuiſſe conceſſas aſpicimus, iure contingit examinare, an omnibus vis, lac gignendi fuerit attributa? Fęminas illud in mammillis generare notiſſimum eſt; in maſculis fieri etiam Ariſt. in lib. 3. de Hiſtor. animal. poſſe affirmat, quod Albertus, & Auicenna non tacuerunt. Veſſalius id non ſemel conſpexiſſe in lib. 15. Anatom. commemorat, & Hieronymus Eugubius in libello de lacte, vt citatum reperio, cuius tractatum videre non licuit. Hieronymus Cardanus correctus lib. 12. de ſubtil. Ianuæ vidit Antonium Benzium, è cuius mammillis lactis tantum profluebat; vt infantem ferè lactare potuiſſet. At Hiſtoria, quę affertur ab Alexandro Benedicto mirabilis eſt. Ait enim Syrum quendam mortua coniuge, è qua infans ſupererat, vbera filio admouiſſe è cuius ſuctu, tanta lactis copia in papillam ęmanauit, vt exinde loco matris nutrire valuerit. Ego quidem in duobus filijs meis, in primis diebus à partu obſeruaui ab obſtetrice mammillas contrectatas, lac impulſu [*magno multorum ſtupore*] emiſiſſe: idque in alijs etiam infantibus conſpexi.

Inſuper qui nouum orbem luſtrarunt, viros penè omnes

Digitized by Google

omnes in quibuſdam locis, maximam lactis copiam habere referunt. Quin, & Antonius Torquemada in lib. 1. ſui Viridarij in animalibus maſculis, id etiam euenire prodidit. Affert enim quoſdam capros in mammis multam lactis copiam habere, quod non ſiluit Petrus Matthiolus in lib. Epiſt. Medic. vbi in Boemia huius naturæ tres, Capros vidiſſe narrat, vnumq; habuiſſe, cuius lacte, tanquã experimento valido munito, ad apoplecticos, & epilecticos vtebatur. Et Ariſtot. naturę indagator lib. citato cap. 20. de huiuſmodi Capris hæc attulit. In Lemno inſula Capro ex mammis, quas geminas iuxta genitale gerit, tantum lactis emungebatur, vt coloſtra inde conficerent, quod idem etiam proli maſculæ Capri illius eueniſſe accepimus. Hæc ille. Sunt, & alij ſcriptores, qui in maribus etiam lac obſeruarunt, vt Marcellus Donatus in cap. de Variolis, & Morbillis in Hiſtor. Medica. Ioannes Conradus, Schenckius, ſed hęc allata ſufficiant, ad demonſtrandam huius negotij veritatem.

Profectò vtriſque naturam maſculis ſcilicet, & fęminis mammas conceſſiſſe, dum conſpicimus, facilè in eam abire ſententiam ducimur, vtriſque etiam lac dediſſe, & eo magis mouemur ad hoc, nam, & obſeruationibus, & virorum clarorum auctoritate in maribus fieri comprobatur. At ſi mammarum maſculi, & fœminę ſtructuram, & ordinem metimur, tantum abeſt, vt vtroſque lac conficere confiteamur, vt potius ad alium finem viris naturam dediſſe pronuntiemus. Equidem maſculorum mammę, vt ſuperius

tetigimus, cute tantum, adipe, & papillis conſtant, fęminarum autem non ſolum his, ſed glandulosa carne, & ad ipſas venæ, arteriæ, & nerui feruntur, nec glandulosum earum corpus vnicum eſt, ſed multiplex, quo fit, vt maxima animaduertatur differentia inter maſculorum, & fęminarum mammas, & proinde naturam ad partium contentarum potius robur, viris mãmas conceſſiſſe, quam ad lactis procreationem eſſe credendum; atque fœminis ſolum lac conceſſiſſe, vt conceptum nutrire valerent, cum parturiunt. Hinc ijs vterum dedit, quem maſculis negauit.

Si ergo ſolum fœminis datum eſt lac, quid de maribus eſt dicendum, cum & hos etiam lac conficere probauimus. Quęſitum hoc ruminarunt Ludouicus Mercatus tom. 1. lib. 1. Claſſ. 4. art. 6. quæſt. 124. & Andreas Laurentius lib. 9. Hiſt. Anat. quæſt. 2. deciduntque lac dupliciter conſiderari, alterum verum, & laudabile, alterum nec verè, & exquiſitè coctum. Verum fit maxima alteratione, & vera mammarum coctione, ſanguine illuc confluente ad tale miniſterium, album, dulce, & moderatè craſſum, nec non, & alimentoſum. At non verum ex reliquijs proprij mammarum alimenti connaſcitur, atque licet album ob partis naturam exiſtat, ſiue ob ſpirituum concurſum, at nec alimentoſum eſt, nec dulcedinem præfert, & ex colore tantùm lactis nomen conſequitur: cęterùm tenue, & dilutum perſiſtit. Capitur hoc totum ex Hippocr. in lib. de Nat. pueri. Quare lac verum in maribus fieri non poſſe volunt, nam, & eius materia non ſuppetit, vt in fęminis, quæ quia frigidiores

res

res ſunt, vt ex ſanguine menſtruo conſpicitur, calorem potentem non habent, vt conſumere valeant, idcirco redundat, ſecùs in maſculis aſpicimus ob calorem præualentem. At conceſſo, quòd in maſculis materia ſuppeteret, in eorum mammis, deficit vtique corpus glanduloſum, in quo vera exiſtit vis generandi lac, quod in fœminis inuenitur, vt alias diximus. Hoc tenuit etiam Hucherus in lib. de ſterilitate, & hoc etiam voluit Ariſtoteles: nam & ſi maſculorum lac verum eſſet, & laudabile, natura omnibus conceſſiſſet, vt vice matris ipſi partus alere valerent. Idcirco ſi in maribus lac redundare viſum fuerit, illud non verum, nec legitimum eſt iudicandum, cum alimenti quam minimum afferat, non enim vt adnotauimus ex ſanguine ad hoc munus affluente procedit, ſed ſolum à reliquijs mammarum alimenti. Quod autem quandoque alimentoſum tale fuerit inuentum, vt de Syrio apportauimus, vtique inter naturæ admiranda eſſet connumerãdum, vt de Capro Lemnio, & de alijs conſimilis naturę eſt credendum, quæ beſtiæ, meo iudicio, potius tales in ſpecie, vt lac reddere valeant, quam veri Capri ſint, exiſtunt, niſi, & verius eſſent Hermaphroditi, vt de quibuſdam leporibus experimur.

An virgines ante conceptum, lac generare valeant.
Cap. 4.

EX diſcordia inter Ariſtotelis, & Hippocratis poſitiones, multi ex ſcriptoribus dubitarunt; an ante conceptum à virginibus, ſiue ab ijs, quę ſine viri amplexibus vitam agunt, lac poſſit generari; Vult Ariſtoteles 3. de Hiſtor. animal. 20. lac ante conceptionem nullatenus gigni poſſe, Nulli, inquit, animali lac fit, antequam vterum gerat, adeo quod ex iſtius ſententia, lactis generatio, grauidationis ſignum peculiare adeſſet, nec ſine cauſa; ſi enim natura nihil fruſtra molitur; ſed vnumquodque propter finem, cui opus in fęminis lac eſſet ante conceptum? ſiue ante embryonis perfectionem? nulli equidem: videtur enim lac peractum fuiſſe ad ſolum illius nutricatum, cum de matris vtero ſtatuto tempore exierit.

Hęc Ariſtotelis opinio videtur confirmari à verbis Hippocr. qui inter ſigna conceptæ molę, hoc vnum, & præcipuum adnotauit, in mammis lac nullum generari, nam, & lac ad finem fętus nutritionis videtur comparatum, gignitur enim mira naturæ prouidentia, vt eo fętus alatur. Hinc idem Hippocrates in lib. de Natura pueri. Vbi peperit mulier principio motus iam facto, lac fertur ad mammas, ſi lactauerit.

rit.

Digitized by Google

rit. Quibus verbis benè conſpicitur, & grauidis, & puerperis lac fieri, recurrente ad mammas ex vtero ſanguine opera naturæ: quo tempore illius prouidentia copioſiùs ab ijſdem trahitur, in ſibi, & fętus alimentum, & eo magis, quia puer ſugens multum allicit.

At Hippocrates contrarium ſentit 5. Aphoriſ. 29. Si mulier, inquit, quæ neque grauida eſt, neque concepit, lac habeat, huic menſtrua defecerunt. Hæc hypotheſis, virgines, ſiue alias, quibus menſtrua defeciſſent, lac in mammis generare poſſe coarguit. Equidem videtur rationabilis, nam, & ſi ſuperius, ſanguinem menſtruum, lactis eſſe materiam, cum ab vtero ad mammas regurgitat, in quibus ob nouam coctionem, & partium naturam albeſcit, probatum eſt, tantò veriſimilius eſt, virginibus, menſibus deficientibus, atq; ſurſũ ad mãmas recurrẽtibus lac fieri. Imò ſi in manibus, licet non ſuppeditet materia lac fieri poteſt, & ſi non laudabile, quid nos vetabit, vt non confiteamur in virginibus, atque ijs, quibus menſium copia eſt, ſi non per vterum exierit, ſed ad mammas proſiliet, lac fieri poſſe, & legitimum. Equidem duo ſunt, quę nobis hoc apertiſſimè poſſunt indicare: vnum eſt corpus, & caro mammarum glanduloſa, in qua vis illa, & facultas eſt lac verum, & alimentoſum generandi, altera eſt ſanguinis menſtrualis copia, quæ materia veri lactis eſt, cum ad mãmas demittitur; At veniamus ad ambarum opinionum examen, vt ijs ventilatis, & diſcuſſis, negotij veritatem aſſequi valeamus.

Porrò

Porrò in diſcutiendis clarorum virorum opinionibus rarò fit, vt in admirationem non deueniamus, cùm & talium ſcripta nobis ſemper documenta miniſtrent. Ariſtoteles à veritate non deflectitur, dum lac ante conceptum fieri non poſſe annuat: nam clariſſimè illud à naturæ prouidentia connaſci probatū eſt, vt exinde fętus ali queat. Nec Hippocrates oppoſitum adducens aliqua calumnia dignus eſt, ſuccedere enim poteſt, vt quemadmodum menſes retenti, per oculos, nares, gingiuas, aliaſque corporis partes excludi contingunt, ad mammas admiſſi, in lac poſſent commutari. Non enim credendum Hippocrat. de intentione principali tenuiſſe lac ante conceptum fieri: ſciebat equidem hoc ratione non ſortiri, nam & fruſtra lac eſſet apparatum: poſuit tamen, tanquam ſtudioſiſſimus, vt omnia doceret, caſum, in quo lac ante conceptum fieri poteſt. Vtique veriſſimum eſt mulierem, ſine grauidatione, & ſine partu lac poſſe habere, quando menſes retenti non aliò euocentur, quam ad mammas, at caſus hic rarò contingit, cum illi non ſemper ad mammas transferantur. Quod autem Hippocrat. tenuerit ante conceptum lac minimè apparari, in lib. de Natura pueri oſtendit. Ab vtero (inquit) ad mammas lac accedit, quod poſt partum infanti ceſſurum eſt in alimentum. Et in eodem. Vbi peperit mulier principio motus iam facto, lac fertur ad mammas, ſi lactauerit. Ex quibus verbis bene noſcimus vtraſque has opiniones in vnam continuari ſententiam: imò tenendum Ariſtotelem ab Hippocrate commutaſſe, lac ante conceptum non generari.

Con-

Conciliatis iſtorum opinionibus, dubium innaſcitur. An lac, quod annuit Hippocr. fieri ſine conceptu, ſit eiuſdem qualitatis cum eo, quod poſt conceptum, atque partum in mammis ad fœtus alitionem generatur; probauimus enim hoc verum, laudabile, atque alimentoſum exiſtere, atque à natura ad illius alimentum comparari. Mercurialis doctiſſimus, lac poſſe fieri ſuſtinet in fœminis abſque eo, quod conceperint, vel peperint, imò non ſolum ex defectu menſium, ſed etiam virginibus, multo ante menſtruorum eruptionem, cauſam affert, ob ingentem ſanguinis vbertatem in earum mammis collecti. Probat totum valida ratione. Sicut enim vbi ſanguis ſuperabundat nutritioni in vaſis ſeminarijs, conuertitur in ſemen, etiam in pueris, vt voluit Hippocr. in lib. de Genitura; haud ſecus, & in mammis, vbi ſuperfluit ſanguis ipſarum integræ nutritioni, is vi mammarum lactifica conuertitur in lac.

Quia autem Hippocr. in hoc loco loquitur de menſtruorum defectu præternaturali, & morboſo, probat Mercurialis in defectu naturali menſium etiam lac fieri, hac vnica cauſa, quod interdum reperiantur mulieres, vſque adeo ſanguine abundantes, vt etiam vltra quinquageſimum annum, & purgentur, & concipiant, ac pariant, & in his ſi menſes tempeſtiuius paulo deficiant, poſſe lac in mammillis fieri, etiam ſexageſimo ætatis anno ſi multo ſanguine abundent.

Referam in hoc loco, quod in Hortulo Geniali annis elapſis impreſſo, ſcripſimus & obſeruauimus. Erat quædam mulier nomine Victoria, cui ceſſauerant mē-

ſes

ſes anno 45.& fauſta valetudine vixit, cum autem ſexageſimum ferè annum attingeret, ecce illi menſes rubei, bonique coloris rediere, vberaque, quæ prius flaccida erant, inſtar virginum, turgidula facta ſunt, lactiſque tanta copia impleta, vt impulſu ferretur.

Cardanus eo, quod caſus ab Hippocr. adductus rarus eſt, tenet non eſſe dicendum menſium retentionem abſolutè cauſam lactis eſſe, quia ſic omnes lac gignerent, ſed præter cauſam iſtam in muliere virilitatem requiri, quia cum lac non fiat, niſi per actionem ſeminis maſculini, & illæ ad maſculi vergant naturam, lac conficiunt ob menſium defectum. Chriſtophorus à Vega, Rodoricus Fonſeca, & alij defendunt ante conceptum etiam ex ſola menſium defectione lac fieri poſſe.

Ego verò conſtanter teneo, verum lac haud fieri poſſe ſine conceptu, quod enim apparet in virginibus, atque alijs fœminis ex menſium defectu, vel reliquijs proprij alimenti, legitimum lac, & verum haud iudico, ſed dilutum, crudum, paucique alimenti: non enim in tali, omnia concurrunt, quæ in veri lactis generatione requiruntur: nam verum lac, licet præuia ſanguinis menſtrui materia fiat, ille tamen cum retinetur, & deficit naturæ prouidentia, tunc ex eo lac conficitur, & reſultat totum, ſecundum ordinem naturę. At in virginibus, & alijs ſi retento menſtruo, lac generari contingit, non verum, nec laudabile efficitur, procedit enim à ſanguine retento præter naturam, atque morboſo, quod eſt oppoſitum à primordijs. Imo licet abſque conceptu, & menſium

defe-

defectu lac fieri videatur, ex ſanguinis vbertate, vel reliquijs mammarum alimenti, non per hoc ſequitur illud alimentoſum eſſe; nam, & fit præter ordinem naturæ, quæ conſueuit lac verum generare facto conceptu, ad fœtus nutricatum. Concludendum igitur meo iudicio, lac verum, & exquiſitè coctum, atque veri alimenti, generari non poſſe ante conceptionem: crudum verò, & dilutum ex menſium defectu, ex reliquijs proprij alimenti, & ſanguinis vbertate confici poſſe. At hoc nomen lactis, & colorem, ſed non propriam naturam retinet, quale illud erat, quod in marium mammis, & in brutis quibuſdam apparet.

De lactis ſubſtantia. *Cap.* 5.

AGgrediamur modo lactis ſubſtantiam, vt deinde eius temperamentum venemur. Equidem iſtud Galeni auctorit. 3. Differ. pulſ. vltimo corpus molle eſt, eius autem mollities non inſtar aquæ compenſanda eſt, ſed quod ſit molle inter craſſitiem, & tenuitatem. Licet enim lactis ſubſtantia, vna, atque ſimilis appareat, vt idem Galen. 2. de Elem. 2. tetigit, non per hoc corpus ſimilare illud eſt, diſſimilibus equidem conſtat partibus, quemadmodum, & ſubſtantia ſanguinis à quo lac dependet ipſum exiſtit.

Apparet hoc in lacte manifeſtum, ſi illi coagulum addideris, nam, & per concretionem partes tenues à craſſis ſeparantur, & ſerum diuiſum à parte caſeoſa.

conſpicitur, nec non, & butyrum ſupernatans. Ex quo manifeſtatur lac non ſimilare corpus adipiſci, ſed diſſimilare, & etereogeneum. Hoc tetigit Ariſtot. 3. Hiſtor, animal. 20. Hinc propter diſſimilem ſubſtantiam partes illæ non ſolum craſſitie, & tenuitate differunt verum atque facultate, nam, & ſerum corpus ſoluere, caſeum aſtringere, & butyrum humectare experimur. Butyrum autem dum lac concreſcit ſupernatat, inſtar olei, ſiue corporis pinguis: hinc ex eo, quod carbonibus iniectum, flammam excitat à multis vice olei vſurpatur. Hanc partem, butyrum antiqui à Bubulo vocare conſueuerunt, in huius enim lacte, huius partis plurimum intereſſe conſpiciebatur. Hoc tetigit Gal. 10. Simplic. medic. facult.

At quamuis in omni lacte partes hæ reperiantur, non perinde ſequitur in omni æquilibrium tenere: maxima enim inter lac, & lac intercedit differentia. Siquidem Bubulum multum butyri, multumque caſei obtinet; quod ſi cum caprino comparatur, vtrique propter maximam ſui craſſitiem in caſei prouentu ad tertiam partem ſuperare videbimus. Habet Caprillum lac ferè mediocritatem inter craſſum, & tenue: Oppoſitum eſt in Aſinino, quod cum ſit tenuius, plus de ſeroſa parte retinet.

In his pulchrum naturæ arcanum referatur. Animalia enim, quæ vtrinque dentata non ſunt, craſſum lac generant, quod facilè concreſcit; & multum caſei prouentum adducit. Contrà in ijs, quæ vtrinque ſunt dentata. Ipſa equidem lac tenue promouent, illud autē nō facilè concreſcit, & minimū habet caſei.

Hinc

Digitized by Google

Hinc oritur Equinum lac, & Camelinum tenuiſſimum eſſe; nam & ſerum in his maximè ſuppeditat. Hac etiam de cauſa lac muliebre, eo quod tenue eſt difficile concreſcit, & tantam cum homine affinitatem retinet, vt pro puelli nutricatu natura meliorem parare noluerit. Huius inopia, & loco ad Aſininum accurrimus, quod cum tenue, etiam ſit, facilè coquitur, facilèque penetrat, & diſtribuitur, nec in ſtomaco concreſcit, vt craſſum lac Bubuli, vel Ouilli facere conſueuit. Porrò lac illud in ſua ſubſtantia electiſſimum iudicatur ad nutricationem comparandam, quod plus ſeri, quam caſeum habere exiſtimatur. Docuit methodum cognoſcendi Oribaſius; adiecto enim coagulo, ſi æqualiter caſealis pars, & ſeroſa concreuerit, optimum iudicatur. At ſi caſealis fuerit plurimum, difficilè erit, ſin è contra facilè: ſed minus alimentoſum. At in apparandis caſei redditibus, craſſum lac à paſtoribus laudatur, quantò enim fuerit craſſius, quantòque minus ſeri retineat, tanto ex eo caſei prouentus producitur maior.

Par erat, vt ad inſtitutam lactis ſubſtantiam redeamus, diſſimile à natura lac fuiſſe comparatum, illud enim cum à ſanguine ortum haberet, nec ab eo, niſi per nouam differret coctionem: dum ille diſſimilis in multis partibus conſtat, veriſimile eſt à diuerſis lac ipſum comprehendi. Reſident ergo in lactis ſubſtantia caſeus, qui craſſus eſt, ſerum, quod tenue, & butyrum, quod pingue: quæ omnia prout diuerſæ ſunt animaliũ naturæ, ita diuerſificantnr in mole. Hæc clariora fient in Cap. de lactis Differentijs.

De lactis qualitate. Cap. 6.

EX ſubſtantia lactis enarrata, atque ex eius materia in ſuperioribus capitibus adducta, faciliter ad eius qualitatis cognitionem deuenire poſſumus: Etenim lac à ſanguine in mammis per nouam coctionem elaborato, atque dealbato prouenire probauimus: idcirco à qualitate, quę in ſanguine ineſſe putamus, oportebit lactis venari temperamentum. Antonius Zara in Anatomia Ingeniorum, ſanguinem eſſe frigidum ſuſtentauit ſect. 1. Membr. 8. Etenim ſanguis originem ſuam à phlegmate humido, frigidoque ducit, ſtatimque extra venas in gelu concreſcit, atque ad primam ſui naturam recurrit. Quod autem ille tactu calidus percipiatur inde prouenit, quod calora naturali vegetatur, flauaq; bile fouetur. Nec colore rubeus euincit, vt frigidus non exiſtat, quandoquidē roſa, & ceraſa admodum frigida, & purpurea ſunt. Hæc ille.

Hic auctor videtur Ariſtotelis ſententiam imitari, qui 2. de Part. animal. 3. Sanguinem frigidum, & ſiccum eſſe ſubiecto, caleſcere verò corporis calore putauit, quam ſententiam ex Hippocr. in libello de corde mutuatus eſt, vbi hæc habentur. Sanguis enim non eſt natura calidus, neque enim alia aliqua aqua, ſed caleſcit, multis autem videtur natura calidus eſſe. Ex quibus ſi vera ſunt, lac eſſe frigidum, & ſiccum ſui

natu-

Digitized by Google

natura affirmare oportebit. Videamus autem diſtinctiùs quid ſibi velit Ariſtoteles.

Hic credidit ſanguinem in viuente corpore per ſe frigidum eſſe, caleſcere autem caloris ope naturalis, & ſpirituum, quam opinionem his fundamentis conualidare conatus eſt. Sanguis extra corpus effuſus congelatur: at congelatio ex frigore, & ſiccitate innaſcitur, ergo ſanguis frigidus, & ſiccus eſt. Cauſa apparens eſt: ſiquidem ante effuſionem humidus erat, & calidus naturali corporis calore, effuſus calorem alienum perdit, perinde congelatur; ſi enim calorem proprium poſſideret, non tam cito amitteret; at ille etiam ſi in aere calido ſecetur vena, concreſcit, ergo frigidus eſt.

Inſuper ſanguis in iugulatis cadaueribus, aut mortuis quauis alia cauſa hominibus ſtatim coagulatur, ſed huius rei alia ratio eſſe non poteſt, quàm extinctio caloris naturalis humani corporis, ergo ſanguis erat calidus calore alieno, ſed non proprio.

Equidem ſubtilis, & admodum apparens Ariſtotelis hæc opinio videtur, eſt tamen dura, & à communi medicorum ſchola diſſentiens: nam ſanguinem eſſe calidum, & ex ſe habere copioſum calorem: nec non, & calorem naturalem membrorum à calore ſanguinis, & ſpirituum foueri, quaſi ab omnibus conceditur. Ratio autem euidentiſſima eſt, nulla enim via refrigerandi corporis videtur commodior: quam ſanguinis miſſio: namque & ſedes caloris in venis, & ſanguine ineſſe creditur, quod non tacuit Gal. in lib. de ſanguin. miſſione cap. 5. Non ſolum partes animantis

ex

ex ſanguine aluntur: ſed & natiuus calor manſionem ex ſanguine obtinet. Clariùs tamen lib. de Tumor. præter naturam. Secunda coniectura eſt ex ipſa ſanguinis ſubſtantia, non enim vt pix, & reſina, & cera à frigore concreuit: ſed ſemper, & natura calidior. Clariſſimè autem in libello de fœtus formatione. Nam in ſanguine, qui in venis eſt, abſque cordis calore, tepidus quidam calor inſitus eſt. Hæc ille. Ecce modo, quod ſanguis in venis per ſe calidus eſt, caleſcit, & etiam calore proprio: atque cordis affluente.

Ariſtotelis ergo opinio nec valida eſt, nec rationes eius de coagulatione perſiſtunt; quippè ſanguis vnus haud eſt, nam, & cum venam aperimus, humores omnes effundimus, ex quibus, bilis, quæ tenuiſſima eſt ab alijs ſecernitur: reliqui frigidi, & craſſarum partium duo humores pituita, & melancholia remanent confuſi, & tenues ſanguinis partes exhalant, hinc mirum haud eſt maſſam concreſcere. Quapropter Peripateticorum principis ſententia minimè eſt acceptanda; nec locus Hippocratis in libello de Corde, cum ille inter genuinos Hippocrat. à Galeno non reponatur: nam ab aliquo peripatetico forſitan fuerat inſcriptus. Reſtat ergo ſanguinem eſſe calidum, & perinde lac, à quo recipit ſubſtantiam calidum exiſtere. Si de hac re plura deſideras, vide Franciſ. Valleſ. lib. 1. Controuer. cap. 15. vbi tractat de calore ſanguinis, & Ludouicum Mercat. lib. 1. in tractatu de Humoribus.

At in quo gradu caloris lac exiſtat inquirendum puto Galen. 5. Simplic. medic. fac. 21. videtur negotium

tium

tium tangere. In medio autem, inquit, pituitæ, & ſanguinis eſt lac, vtique quoad calorem attinet: non tamen æquè ab vtroque abeſt, ſed longè abeſt à pituita, propriùs accedit ad ſanguinem. Et 5. Aphor. com. 40. Adenum natura illorum præſertim, qui in mammis ſunt, exanguis eſt, & proculdubio frigida, omne enim exangue frigidum: atque ideo ſanguinem, qui defertur ad ipſos ad frigidum commutat. Quanto enim adenes hi ſunt Hepatis carne frigidiores, tanto lac ſanguine. Clarius tamen 4. Simp. med. fac. 17. Cæterùm, inquit, lac, & ſi guſtu ſit dulce, tamen ex ſeſe nunquam amarum efficitur, vincitur enim in eo à frigore, magis caliditas, quam ipſa vincat: proinde etiam repoſitum aceſcit.

Ex quibus benè noſcimus ſecundum Galeni opinionem, lac non verè calidum eſſe, licet à ſanguine procedat: eſſe tamen eius naturam temperamento valde propinquam in menſura caloris, & frigiditatis: mediam enim dixit habere temperaturam inter ſanguinem, & pituitam: imò magis accedere ad ſanguinem: ſed cum ſanguis temperatus ſit, ſiue mediocris, & tepidi caloris ſit ſui natura, vt ipſemet in lib. 1. de Nat. humana expoſuit, reſtat lac, ad frigidum declinare: ſed non longo à temperamento, quod idem eſt, ac diceremus, lac tepidum habere calorem, nam ſi magis accedit ad ſanguinem, quam ad pituitam, veriſimile eſt, mediocrem retinere calorem: humidi tamen temperamenti eſt, quod tetigit Alman. tract. 3. cap. de lacte. Lac recens mulctum, temperamento exiſtit vicino: licet frigiditati, & humiditati parumper approximet.

met. Hanc opinionem ſequuti ſunt Vidus Vidus Senior, Chriſtophorus à Vega, Altimarus, & maior pars ex Academia Medicorum.

At Iſaacus Iudęus in lib. 1. de Diętis vniuerſalibus 57. oppoſitã habet à priori ſententiã. Lac. n. calidum eſſe, quaſi à medio primi gradus, vſque ad initium ſecundi determinat. Mouetur ab eius ſapiditate, quæ ſapori ſanguinis eſt propinqua, & à facili eius mutabilitate, quæ in ſanguinem mutatur. At quoad humiditatem non diſcrepat ab alijs.

Vt autem iſtius mentem aſſequi valeamus, duas, medicorum claſſes in natura lactis diſcutienda admodum contrarias præmittendum ducimus exiſtere. Hęc tamen lis à ſeri natura omnis procedit. Vna ſerum lactis calidum, & ſiccum eſſe defendit, vt ſunt medici Mauritani, Damaſceni, Meſues, Auicen. Aetius, quos ſequutus eſt Matthiolus. Altera frigidum, & humidum in prædominio eſſe contendit, vt maior pars Neotericorum ad mentem Galeni aſſerere conantur. Prima lac calidum eſſe vſque ad ſecundum gradum ſentit. Secunda totum oppoſitum decreuit. Quia autem de ſeri temperamento in Opuſculo proprio longiſſimè diſquirimus, illuc lectorem mandamus.

Sed videamus amabò vtra opinio num verior exiſtat. Ponamus primò diſtinctionem problematis. Lac dupliciter poſſe conſiderari, vel effuſum à mammis, vel contentum, & coctum in venis, & ventre mammarum, vtique maxima eſt differentia inter effuſum, & retentum. Si loquimur de effuſo, quia illud facilè re-

lè recipit alterationem, imò diù ſeruatum aceſcit, & videtur perdere naturam propriam, & calorem non ſolum de mente Galeni calidum nõ eſſe contendũt, ſed potius ad frigidum declinare, nam & ille iudicatur lactis temperamentum, eiuſque naturam determinaſſe. 4. Simpl. med. fac. 17. quando in lacte, inquit, vincitur à frigore magis caliditas, & proinde repoſitum aceſcit.

At ſi rei naturam conſideramus, profectò lac ſanguine calidius eſſe confitebimur, parcat mihi Galenus, & alij, qui oppoſitum ſentiunt. Certum eſt lac ex ſanguine exactè concocto, atque fibroſa, terreſtrique parte depurato fieri, concoctio autem omnis à calore perficitur, idcirco maiori caliditate ipſo ſanguine, lac eſſe præditum aſſerendum eſt, & per conſequens tendere ad calidum, & non ad frigidum.

Confirmabimus ſententiam noſtram cum eodem Galen. qui 7. de Plac. cap. 3. Natura, inquit, cum ſemen, & lac vult exactè conficere, diuturnam illius in inſtrumentis concoctionis moram machinata eſt. Hoc videtur in longinquitate vaſorum ad mammas tendentium, quam natura pro lacte elaborando, vt ex ſanguine exactè concocto fieret præparauit. Hinc ſi verum eſt, quod Ariſtoteles 4. Meteor. 3. dixit, coctionem eſſe perfectionem à naturali, & proprio calido, & perinde neceſſe eſſe, quæ concòquuntur craſſiora, & calidiora eſſe, iure confiteri oportebit, lac ſanguine calidius, nam & magis elaboratur, & à calore perficitur. Nec terreat nos illud, quod facilè aceſcat, hoc enim contingit in lacte, non quia frigidum eſt, ſed

 quia

quia facilè alteratur, & vt Galenus ipſe aſſeruit, lac in pauco calore ſeruatum aceſcit, & in multo in nidorem abit. Ecce modò quod natura lactis facilè alteratur, ex quo in eo nidor, vel aciditas ſuccedit, & non quod calidum, aut frigidum ſit.

Sed diſcutiamus modò dubitationes illas, quæ contra noſtra obiecta adduci poſſent. Prima eſt, quæ à Galen. 5. Aphor. com. 40. affertur. Adenum, inquit, natura, & illorum præſertim, qui in mammis ſunt, exanguis eſt, & liquet, quod frigida [*omne enim exangue frigidum*] & quidem eius, qui defertur ad ipſos facit ſanguinis alterationem ad frigidius declinãtem. Quanto enim adenes hi ſunt hepatis carne frigidiores, tanto lac ſanguine. Hæc ille. Huic, derelictis opinionibus, an mammæ ad contentarum partium robur, an verò ad lac generandum magis ſint comparatæ: reſpondere poſſumus, mammas eo, quod venis multis, & arterijs refertæ ſint, ad calidum potius declinare, quam ad frigidum: nec negandum glandulas eſſe exangues, & perinde frigidas: quid autem hoc ad nos cum coctionis actio mediante venarum, & arteriarum ſanguine, & calore perficiatur: nec mora eſt in cauſa, vt lac à glandulis, frigiditatem recipiat, cum ex diuturna coctione magis caleſcere, arbitrandum. Nec ipſæ glandulę ex venarum, & arteriarum comitantia tanta exuperant frigiditate, vt ſanguinis temperamentum immutare valeant, & quod propterea lac ſit frigidum: nam & hoc modo cerebrum etiam ita eſſet, & tamen ipſe Galen. 8. de vſu part. 3. contra Ariſt. arguit, cerebrum nequaquam ad cordis refri-

refrigerium eſſe inſtitutum, nam cum tot, tantiſque venis, & arterijs ſit munitum, non leuis caliditatis facit argumentum.

Hinc maximè laudanda eſt Horatij Augenij opinio de lactis albedine in Epiſt. 7. lib. 7. Prioris Tom. Hic Galeni ſententiam de lactis, puris, & ſeminis albedine ſuſpectam habet, atque nullius valoris. Credidit Galen. propterea lac eſſe album, quia recipit immutationem in partibus, quę cum albæ ſint, vim habent tranſmutandi ſubſtantiam in eundem colorem: & hoc de pure, & ſemine etiam confixit. Hæc autem opinio non perennis veritatis viſitur, nam pus, quod in hepate, vel renibus fieri contingit, album eſt, cum tamen partes illæ rubeæ ſint. Hæc eſt, ex Augenio vera causa. Ea quę participant magis diaphano luminoſo, magis albedine participant, quę magis opaca, magis nigra. Hinc conſtat eo tempore, quo hęc conficiuntur maximam confluere ſpirituum copiam, quia in illis reſidet calidum innatum, cuius eſſentia, ſpiritus ſunt, aut ſaltem proximum illius inſtrumentum. Hęc igitur aerea, diaphanaque ſubſtantia humido permiſta, & agitata albedinem parit, qualem etiam in aquis agitatis incluſo ſpiritu fieri videmus. Hęc ille. Idcirco iure confitendum non à glandulis lac albeſcere: ſed à calore innato, & copia ſpirituum, ex quibus fit vera coctio, vt ab oppoſitis naſcitur cruditas. Sic reſtat lac calidũ eſſe, & non frigidum. At ſi aliter in ſuperioribus Cap. ab hac opinione dicere oportuit, confiteor illic Galeni aſſertiones examinare placuiſſe.

Secunda aſſertio, quę fieri poſſet, eſt lac, hecticis

cum vtilitate maxima propinari. Illi autem febre calida, & habituali affliguntur, & à lacte iuuantur, quo argumento lactis natura frigida poteſt iudicari. Leuis eſt dubitatio, & leuiter ſoluitur, poſtquam non vt refrigerans auxilium docti medici hecticis, lac preſcribunt: ſed magis vt attemperans, & reficiens, & vt illorum caloris exuperantiam tractu temporis compeſcant, atque deperditam ſubſtantiam inſtaurent. Hoc voluit Auerr. 5. Collig.

Tertia eſt maxima illa diſceptatio de ſeri temperamento, aliqui enim ex veteribus calidum, aliqui verò frigidum aſſerunt, de quo non poſſum non admirari Galen. qui in deſcribendo Seri temperamento inconſtans eſt, modò vt calidum, modò vt frigidum annuēs, quem vt Neoterici defendant, multa confingunt, vt nos in Opuſculo de Sero diſputabimus. Vtcunque ſit, in ſero acrimonia eſt, quæ calida eſt, Butyroſa pars, temperata eſt, & ad calidum tendit, & licet caſeoſa pars, ad aliquam frigiditatem abeat, cum à Sero non eſt ſeparata: nam & ſeparata, vt dicemus reſpectu coaguli etiam caliditatem acquirit, neſcio qua cauſa lac frigidum exiſtimetur, eo magis, quod Galenus ipſe velit, nolit. 3. Alim. fac. 16. coactus eſt vniuerſas lactis partes planè calidas eſſe affirmare. Hic de Oxilacte ſermonem habens ſic ait: Neque enim amplius calidam, acremque qualitatem, ac facultatem retinet, quam lac à ſero habet, neque pinguem, & mediocriter calidam, quam lac à pinguedine, quæ ſibi ineſt poſſidebat. In huiuſcemodi præparatione ſola relinquitur caſeoſa ſubſtantia, eaq; ipſa non eſt eiuſ-

dem

dem naturæ,cuius ab initio fuit,ſed ad frigidius] conuerſa. Hæc ille. Idcirco vniuerſa lactis ſubſtantia ad calidum tendit temperamentum. Muſſitabunt forſan Zoili,hanc opinionem legentes, at videant meæ ſententiæ complementum.

At videamus modò lactis in mammis,& venis concocti,& adhuc non effuſi temperamentum: ſine controuerſia equidem illud calidum eſſe oportet,vt Iſaacus determinauit, qui forſitan ad hoc intentionem ſuam direxit,imò non ſolùm hoc,ſanguine calidius, vt de effuſo diximus,ſed etiam magis in caliditate præualere. Colligitur hoc ex maxima eius dulcedine, quam in venis retinet: de qua ita Galen. 4. Simplic. med. fac. 17. loquutus eſt. At ſi lac guſtari poſſet, vbi in ventre,& per venas concoctum eſt, ipſo etiam melle dulcius inuenitur, nam quod foris, & ex ſe ſemel obtinet, id dum coquitur lac accipit, & cum admodum ingens in animante calor extiterit,tantam acquirit lac dulcedinem,quantam mel deperdit.

Ecce modò,quod lac non effuſum admodum differt ab effuſo,ſignum huius maxima eſt eius dulcedo, quæ vbi maior fuerit,ibi & maior caliditas, at dulcedo lactis,in venis concocti,maior eſt, quam in melle, vt Galen. determinauit, ergo eius caliditas maior eſt: quam in melle. Adiungitur lac in venis non ſolùm proprio calore: verùm atque cordis, & arteriarum, & totius corporis calere. Nec huic opinioni redarguendum, cum à Galeno ipſo determinetur apertiſſimè. Hoc addam ad opinionis noſtrę corroborationem, nullatenus lac effuſum frigidum eſſe potuiſſe,

vt

vt monſtrauimus, & eo magis in pręſentia, cum procedat à cauſis calidiſſimis: nam & quid caliditatis poteſt deperdi ratione ambientis, dum effuſum eſt? non equidem tantùm, vt frigidatis temperamentum acquirere mereatur. Reſtat ergo lac calidum, & non frigidum exiſtere.

De lactis electione, & bonitate. Cap. 7.

AT illud lac in bonitate pręfertur, quod guſtatum dulcedinē parit, quæ quo maior fuerit, eò ſalubrius afferet alimentum. Quod autem à dulcedine recedit, morboſum iudicatur. Tale eſt, ſi amarum, acutum, ſalſum, inſipidum, aut acetoſum fuerit: niſi ante aciditas ad remedium comparata fuerit, vt de Oxigala dicemus. Iſaacus, lac vult ſaporis acceptabilis eſſe debere. Auicen. optimum illud iudicat cui ſapor extraneus non fuerit adiunctus: Gal. 5. Aphor. 37. eſſe partem dulciſſimam. In qua re vnum ponderandum ducimus in ſacra ſcriptura, teſte Petro Berchorio in Repert. lac, licet multipliciter conſideretur, vbicunque tamen ponitur, ſemper aliquam dulcedinem ſignificare.

In lacte, vt ſalubre eſſe poſſit, color albus requiritur, nec ſine ratione, vt enim ſuperius oſtendimus, ſanguinem ex mora in mammaris glandulis ex noua coctio-

ne

ne dealbari;hæc autem quò efficacior fuerit,& ex maiori copia ſpirituum comparata, eo concoctum lucidius; & nitidius apparebit: nam & hęc coctionis eſt opera, vt cruditatis eſt facere humores tenebroſos, opacos,& obſcuros. Quare illud lac optimum iudicatur, quod intuenti album præſeferat. In hac re valde admiror Ariſtot. qui 3. de Hiſtor. animal. cap. 21. lac liuidius magis ſalubre,& nigriores nutrices albis pręſtare iudicauit, per hęc verba. Mulierum lac commodius lactentibus eſt, quod liuorem trahit,quā quod candidum eſt, & fuſcę ſalubrius habent, quam candidæ. Mirorque Chriſtophorum à Vega idem ſentire: nam dato,& conceſſo,quod albedo in lacte ab exacta coctione fiat, non penetraſſet, ſaltem debebat hęrere Galeno, qui ab albedine glandularum illam albedinem comparari voluit; nam & ſic non acceptaſſet lac liuidum, & fuſcum in bonitate pręferri,quod in ſana muliere non efficitur, ſed in morboſa, vel grauida. Hinc docti medici lac ſine albedine morboſum iudicant. Colligitur ex Hippocrate exemplum 5. Aphor. 40. Quibuſcunque, inquit, mulieribus,ſanguis ad mammas colligitur,furorem ſignificat. In cuius expoſitione licet Galen. hoc nunquam vidiſſe fateatur:veriſimile eſt Hippocr. in praxi obſeruaſſe,& propterea poſteris memoriam reliquiſſe.

In hoc negotio igitur ſciendum ducimus,mammarum facultatem modò robuſtam,modò debilem inueniri,ſi fuerit robuſta,non ſolum ſanguinem benignum permutat: ſed etiam vitioſum, licet ex eo vitioſum lac efficiat. Si verò debilis permanſerit, vt nequeat ſan-

ſanguinem melancholicum, aut biliosum permutare, ille immutatus vapores ad caput, ſuę naturæ tranſmittit, vnde poſtmodum furor, & mania poteſt ſubſequi. At ſi ex debilitate mammarum, lac alium recipit colorem, & non album, iure ſuſpicandum, mammas eſſe morboſas. & lac morboſum generari. Tale eſſet liuidum, fuſcum, nigrum, flauum, &c. quod improbauit Gal. 1. de ſanit. tuend. cap. 3.

Negatur etiam nigriores nutrices albis præſtare; nã longè eſt deterior atra bilis, qua tales abundãt, quã pituita, quę ſolet in albis redundare. Et lac album eſſe ſalubrius quouis alio colore, non ſolum ex Auic. in cap. de Anatom. mãmill. ſed ex Galeno, & ex tota medicorum capitur ſchola. Hinc Matthiolus in 2. Dioſcorid. cap. de lacte: Optimum voluit cognoſci odore, colore, & ſapore, & ipſius ſubſtantia. Ex colore, quia oportet eſſe album, & ſplendidum, clarum, & minimè liuidum. Ex ſapore, vt guſtui ſit ſuaue, non acre, nõ amarum, non acidum, non ſalſum, aut alterius excedẽtis qualitatis particeps. Ex odore, vt bono ſit odore præditum, vel ſaltem omnino odoris expers. Sit ſubſtantia medium, quale eſt, quod in pollicis vngue iniecta gutta non cadat.

Hinc Antonius Fumanellus in lib. de ſenum Regimine, de bonitate lactis verba faciens dixit. Bonum autem eſt, quod ex animali ſumitur ſine querela, ſano, ętate iuueni, benè nutrito, guſtu, & odore delectabili, album, & æquale, medium inter tenue, & craſſum, in vngue poſitum non defluens, bibitum mox ab vbere deſumptum, velociter namq; immutatur ab ære.

In

In diſcutiendo lactis odore, ex ſcriptoribus non eſt, qui non aſſerat eius odorem bonum eſſe debere, qualis autem hic odor ſit, à nemine clarè declaratum inuenio. Iſaacus per gratum odorem exponit lac eſſe alienum ab horrore, & grauitate. Galenus per gratum odorem intelligit ſuaue. Hæc ſunt eius verba, 1. de ſanit. tuend. cap. 3. Lac quod optimum eſt, id guſtanti, olfacientique planè ſuaue intuenti, candidum, æquabile, ac liquidi, craſſique medium apparebit. Quod vitioſum eſt è diuerſo, aut craſſum, & caſeoſum, aut liquidum, & ſeroſum, ac liuidum, tum conſiſtentia ipſa, coloreque inęquabile videbitur. Idem guſtantibus amarorem, aut ſalſedinem, aut qualitatem quampiam extraneam exhibebit, tale vero, nec olfacienti ſuaue erit. In 10. Simplic. medic. fac. hoc etiam confirmauit. Igitur, inquit, lac ſaniſſimum, velut etiam ſanguis, purum, ſyncerumque eſt, nec amaritudinis, nec acrimoniæ, aut aciditatis, aut ſalſedinis, aut fętoris particeps: ſed vt dixerit quiſpiam bono odore præditum, aut odoris expers, aut certè exiguum odorem bonum referens. Hæc talia refert etiam Ioan. Serapion. in lib. de ſimplic. 457. lac, inquit, melius eſt ſanum naturale, non habens infectionem alicuius alterius humoris, aut ſuper quod nõ vincit aliqua qualitas, & eſt clarum, in quo non eſt turbulentia aliqua, nec acuitas in ſapore, vel odore, nec acetoſitas, nec ſalſedo: imò eſt in eo dulcedo pauca, & eſt odor eius bonus. Auic. lib. 2. trac. 2. bonum, inquit, eſt lac, quod eius odor non eſt extraneus, horribilis. Aegineta lib. 1. cap. 2. Laudatiſſimum eſſe lac

ſcripſit, moderatum ſpiſſitudine,copia,colore, & guſtu. Aetius ſermo.2.cap.86.ex Rufo, per lac ſaluberrimum intelligit odoratum,aut odoris expers,aut modicè odoratum.

Ex ſententijs ſcriptorum adductis facilè perſpicimus, quantum deſudauerint in deſignando odore in lacte, quia autem cōdictiones allatas,eo,quod non ſolum odoratui,ſed guſtui etiam competere videmus, vt eſt vocabulum ſuaue,gratum,bonum, & iucūdum, intellectum noſtrum non placare cognoſcimus:idcirco pro maiori elucidatione placuit in medium afferre, quod ſuper lactis odore compenſauimus. Equidem per odorem gratum,bonum,aut ſuaue; odorem amicum naturę noſtræ,odoratumque noſtrum emulgens intelligerem: ſic enim credo ſcriptorum intentionem percepiſſe,nam naturæ illud amicum eſt:quod ſuaue, gratum,& bonum exiſtit.

Hæc noſtra expoſitio non ſolum à verbis Galen.capitur; qui 10.Simplic.med. fac. per bonum odorem retulit exiguum odorem bonum, quaſi illud placeret naturæ, ſed etiam à ſubſequentibus infra,vbi per contrarium boni odoris intelligit faſtidioſum, & iniucundum,qui odor naturæ eſt inimicus. Afferam eius verba. Fugiendum eſt lac animalium, quę ab humana natura longiſſimè abſunt, quod ſcies etiam ex carnis odore: nam faſtidioſus eſt, & iniucundus, ceù canis: lupi,leonis,perdalis, vulpis, hyenæ, vrſi, & ſimilium. Quo circa etiam cuncti homines docti experientia, caprino,ouillo,bubulo,aſininoque vtuntur lacte. Hac de cauſa Gal.idem in lacte porcino odorem grauem

adeſſe

adeſſe protulit. Hoc etiam inferre voluit. 1. de ſan. tuend.cap.9.de lacte in concipientibus. Quę vtero, inquit, concipiunt, ſi prius lac habebant, non ſolum peius fit, & prauum: ſed etiam exiguum; nam quicquid ſanguinis eſt optimum in fœtum abſumitur. Hoc etiam volebat inferre Auerr.6.Collig.cap. 6. lactis, inquit, odor, & ſapor permutatur in fluxu ſanguinis menſtrui: ideo nutrix debet abſtinere à coitu; quia coitus prouocat ſanguinem menſtruum.

Ex ſignis, quos, auctoritate ſcriptorum adduximus: facilè in cognitionem deuenire poſſumus, vt lac bonum generare valeat, qualis nutrix eſſe debeat. Illa boni habitus, & vigentis ętatis laudatur. Debet hęc moderatè ſe exercitijs committere: atque bonę qualitatis vti cibis, quos tandem benè concoquat. Hoc autem non ſolum in fœminis, verum atque in belluis obſeruari admonemus: nam & vtriuſque lacte ſępè ſępius pro cura infirmorum nobis opus eſt vti. In mulieribus grauidis ſit hoc pro conſilio, lac ante ſeptimum menſem ſalſum, inutileque iudicari. Illud autem, quod poſt ſeptimum diem à partu ſugitur, ſi mulier fuerit ſana laudabile exiſtimari; & proceſſu temporis perfectius generari: at poſt viginti menſes, vel duos annos, lac craſſum, & paucum in mammis oritur, quaſi illæ à lactis generatione laſſę ſint.

Itaque cum lacte mulieris, vel belluæ ad medicinę prę ſidia egere videbimur: illud eligi conſentaneum duco, quod nec ſtatim à partu, nec poſt multos menſes ſit redactum: laudo quod inter tales periodos generatur. Sit autem omnibus hęc cautela, vt vel ſu-

gatur à mammis, quod melius eſſet, vel ſubito multum capiatur. Hęc enim dulciſsima ſubſtantia, cum aptiſſima ſit, vt facilè ab aere recipiat alterationem, tantum abeſt, vt diù extracta à mammis conſeruetur: ſed vt potius corrumpatur, & à propria natura recedat.

De lactis differentijs. Cap: 8.

QVia lac venamur non modò à fœminis, quo puelli nutriuntur, verum atque à pluribus animalibus, propterea multæ ſunt ipſius differentiæ. Diuerſum eſt enim lac muliebre à lacte caprino, ouillo, bubulo, aſinino; & reliquorum animaliũ, nam & ex illis, licet omnibus caſeus ſerum, & butyrum intercedat, attamen reſpectũ partium molis vnũ ab alio differt. At ex animalibus, lac deſumptum, non omnium hominum in vſum deuenit; nam apud nos Italos lac humanum, caprinum, pecorinum, vaccinum, bufalinum, & aſininum maximè præſtat, apud autem antiquos non hęc tantum, ſed & camelinum, caballinum, porcinum, caninum, ſuillum, & aliorum, quæ ab auctoribus medicinę adnotantur.

Veniamus ad iſtorum differentias, atque à quinq; fontibus deſumamus, à ſubſtantia nimirum lactis, à natura animalis, à paſcuis, temporibus, & à nouitate, & vetuſtate ipſius. Ita, vt credo, clareſcent omnia.

A ſub-

Digitized by Google

A ſubſtantia lactis ponderamus eius craſſitiem, tenuitatem, & pinguedinem, quę partes licet in omni reperiantur lacte, nam in quolibet, caſeus, ſerum, & butyrum percipitur, attamen non in quolibet æquales ſunt: exempli gratia. Bubulum lac plurimum habet butyri, plurimum etiam caſei, minimum ſeri. Aſininum verò plurimum ſeri, minimum aliarum partiũ. Caprinum autem medio modo ſe habet, vnde Ariſt. 3. de Hiſt. animal. cap. 20. ſic dicebat. Bubulum fertilius caſeo eſt, quam caprinum, cum enim ex amphora lactis caprini formagines obolæ vndeuiginti conficiantur: bubulum eadem menſura triginta facit, vt paſtores confirmant: Ouillum lac fertilius caſeo eſt, quam caprinum.

Hæc partium inæqualitas à differentia animalium, atque à diuerſo eorum temperamento dependet. Ea enim, quę vtrinque dentata ſunt, lac tenue gignunt, quod neque facilè concreſcit, nec conficere caſeum poteſt, quemadmodum lac muliebre exiſtit, homini familiariſſimum; Huic ſuccedit Aſininum lac, tenue, & humano ferè conſimile. Tenuem etiam gignunt canes, ſues, lupi, pantherę, vulpes, & cętera animalia, quę vtrinque ſunt dentata. Idcirco Ariſtot. loco cit. dicebat; Tenuiſſimum eſſe Cameli lac, mox equæ, tum aſinę. At quę in ſuperiori mandibula dentibus carent, & quę ruminant, lac craſſius ferunt, quod celeriter concreſcit, & quanto eſt craſſius, tanto magis caſeoſum. Cauſa ruminationis legitur in Mercuriali lib. 5. Variar. lect. cap. 15. & 16. Huius naturæ lac bubulum, ouillum, caprinum, vaccarum eſt, & ſimilium,

quæ

Digitized by Google

quæ craſſitiem in lacte retinent, licet non æqualiter, vt diximus.

De huiuſmodi negotio ſic loquutus eſt Galen. 3. Alim. fac. cap. 15. Siquidem Vaccarum lac craſſiſſimum eſt, ac pinguiſſimum, liquidiſſimum autem, ac minimè pingue Camelarum, mox equarum, deinde aſinarum, medię autem conſiſtentię eſt Caprarum, hoc craſſius Ouium. Pinguiſſimum eſt ergo lac bubulum, Ouillum verò, & Caprinum habent quidem, & ipſa pinguedinis quidpiam: ſed multo minus. Aſininum vero huius ſucci habet minimum, quo circa rarò in ventriculo cuiuſquam coagulatur: ſi ſtatim vt à mammis excidit, calidum fuerit epotum.

Iſaacus lib. 1. de Diętis vniuerſ. lec. 45. percurrens hanc materiam ponit hos limites. Subtiliſſimum lac eſſe fœmineum, huic vicinum eſſe Aſininum, groſſiſſimum vaccinum, deinde pecorinum, at eſſe maximè caſeatum pecorinum, deinde vaccinum: maximè aquoſum eſſe porcinum, vt Galen. etiam docuit 10. Simplic. med. fac. dum aſſeruit eſſe crudum, & aqueũ, deinde Camelinum, tertio Caballinum. Aſininum temperatum docet in tribus ſubſtantijs: at maximam mediocritatem retinere fœmineum, & deinde caprinum. Cauſam harum differentiarum innuit animalis eſſe temperamentum: ſiquidem lac naturam, & temperamentum, à quo ortum habet imitatur. Quare lac vaccinum cęteris craſſius, & pinguius eſt, & frigidius: Camelinum verò ſubtilius, & minus pingue, at magis calidum, & diureticum, atq; minus nutriens: nam & Cameli calidiſſimi ſunt, quò fit, vt eorum calor

lor

lor omnem pinguedinem ſanguinis extrahat, & cum lac ſit ſanguis iterum coctus ea de cauſa remanet ſine pinguedine. Oppoſitum eſt in lacte vaccino: illa enim non tantùm caloris habet, vt ſanguinis pinguedinem extrahere valeat, idcirco remanet lac pingue, & maximè nutritiuum. Hęc ex Iſaac depromuntur.

Sed obiecta quędam ex eodem Iſaac occurrunt. Primò. Cur lac porcinum non ſimiliter, vt vaccarum pinguedinem habeat, cum porci cęteris animalibus greſſilibus frigidiores ſint? Cui dicitur, porcos minus eſſe calidos cęteris, idcirco eorum lac minus eſſe coctum: quippè pinguedinis ſanguinis, & lactis cauſa, eſt coctio, & perfecta digeſtio.

Secundò, ſi lac porcinum adeo ſubtile eſt, vt aqueū appareat, cur ſimile non eſt Camelino in mundificatione, & actione diuretica? Huic dicitur. Subtilitatem lactis porcini à frigiditate prouenire, quæ infra actionem caloris conſiſtit: Camelini verò à nimio calore, & fortitudine coctionis.

Tertiò, cur lac pecorinum magis ſit caſeoſum, quā vaccinum, vaccinum verò craſſius, & pinguius. Huic reſpondetur pecora eſſe vaccis calidiora, & ſua caliditate pinguedinem lactis conſumere, & ſubſtantiam caſeoſam ſiccam relinquere, & augere. In vaccis propter frigiditatem pinguedo lactis augetur, & caſeoſa ſubſtantia diminuitur, inde etiam magis nutrit, quod ſubſtantia butyroſa magis ſit nutritiua, quàm caſeoſa: nam calidior, & humidior pars lactis eſt, & calori ſanguinis magis propinqua.

At ex iſtis, non inutilis ſuccedit ponderanda obie-

ctio,

ctio,ab auctoribus antiquis, & neotericis capta, qui omnes concordes ſunt,nulla re melius corpus nutriri, quam quæ facilè in ſanguinem mutatur. Vnde quæritur.Cur pinguedo non ſit magis nutritiua, atq; cur in ſanguinem non faciliùs mutetur,quam lac,cum ſit vnctuoſior? Cui dicitur, pinguedinem propterea non eſſe magis nutritiuam, ſeù citiùs non nutrire, quam lac, quia non habet liquidam aquoſitatem, & ſubtilem,vt corporis anfractus penetrare valeat, contrà eſt lac,quod cum ſit liquidum,penetratiuum eſt. Manifeſtum eſt hoc ex eo, quod videtur in caſeo, & butyro, quę cum ab aquoſitate fuerint ſeparata, aggrauant ſtomacum,& tardè digeruntur.

Hac de cauſa cum lac bibitur ad nutritionem, cum tribus ſuis ſubſtantijs propinatur,ſiue vaccinum, ſiue pecorinum,ſiue caprinum ſit. Cum autem ad refrigerationem caloris non naturalis, & ad reſtauratione naturalis hepatis conceditur,butyroſitas aufertur, & aquoſitas cum caſeoſitate bibitur. At ſi mundare volumus humores,ſerum ſolùm bibitur, relictis caſeo, & butyro.

Sed accedamus ad aliam lactis differentiam, quę ab animalium natura deſumitur. Illa etenim vel decenti ſunt temperamento benè carnoſa, & inculpata valetudine,& ſic optimũ lac faciunt,quod maximam præſtabit vtilitatem, ſi recenter ab vberibus emulctum capietur. At ſi temperamento infirmo, macria,& culpata ſanitate fruentur; lac vitioſum generant: nam & illud ab illaudabili ſanguine procedit, & eò maximè fuerit ſuſpectum,ſi diù fuerit emul-

ctum,

Digitized by Google

ctum, & in vſum abibit. Propterea dicebat Galen. in lib. de ſuccor. bonit. & vit. cap. 4. Animalium benè quidem habitorum, lac boni ſucci eſt: at malè habitorum non aliter; atque animalis ſanguis mali, neque enim fieri poteſt, vt cum mali ſucci corpus totum fuerit, boni ſucci reperiatur lac. Hęc ille.

Non minor ex paſcuis lactis diuerſitas innaſcitur. Animalium enim quædam teneris, & recentibus herbis paſcuntur: alia ſiccis ramorum extremitatibus: alia herbis ſtipticis, alia vero laxatiuis, ſicuti eſt ſcamonium, titimallus, & cucumer aſininus. Hinc Galen. 5. de ſanit. tuen. cap. 7. Cæterum inquit, haud dubiè videmus animalium, quorum vſuri lacte ſumus, ſi ſcamonia, aut marinarum lactucarum quapiam veſcantur, in lacte quoque laxandi vires ineſſe. Ex quo patet, quod ex vitioſo paſcuo acre, acutum, & auſterum reddetur, naturam videlicet herbarum imitatum, & Dioſcorides in Iuſtinis montibus hoc contingere prodidit, quod ſi capræ album veratrum pro pabulo habuerint, primo foliorum paſtu euomere, & earum lac epotum nauſeam creare, atque ſtomachum vomitionibus offendere. Cum autem aſtringentibus pabulis robore lentiſco, frondibus oleagineis, & terebintho pecus hoc veſcitur lac ſtomacho accommodatiſſimum generare. Ego quidem non ſemel æſtiuis temporibus caſeum recenter ſubactum, atque lac guſtaſſe recordor: ſępèque amarum inueniſſe, de quo paſtores ſciſcitatus, hoc ab ipſis percipi, pecudes amarellam herbam in paſcuis comediſſe, quę amara eſt.

Idcirco ſi teneris, & redentibus herbis pecudes paſcun-

ſcuntur, neceſſe eſt, lac habere ſubtile, & aquoſum, & ſtomacho nociuum, quæ autem extremis ramorũ, minùs aquoſum, minùs ſolutiuum, & ſtomacho conueniens: vnde caprinum lac, quando capræ ſylueſtribus herbis paſcuntur, & ramorum extremitatibus, videtur ſtomacho magis eſſe amicum, ratio eſt, nam cibus ille, quodammodo ſtipticum, ſtomacum confortat lactis ſtipticitate: contrà in pecudibus herbis laxatiuis paſcentibus: illorum enim lac laxatiuum eſt, & ſtomacho nociuum, eo quod illius neruos, & carnem mordicare quodammodo ſentitur. Non ergo lac exhibere debemus, niſi animalis laudabili cibo paſti, ne in ſtomaco incorruptelam, vel in vitium abeat.

Narrat Galen. 3. Alim. fac. 15. hiſtoriam ſcitu dignam, & maximæ vtilitatis. Nam lac, inquit, quod vitioſi eſt ſucci, tantum abeſt, vt ad ſuccum probum gignendum conferat, vt qui eo vtuntur, cacochymos reddat. Cui rei argumento fuit is infans, qui cum priore nutrice mortua, alterius praui ſucci lac ſuxiſſet, totum corpus multis vlceribus habuit refertum. Vtebatur autem ſecunda hęc nutrix in agro ſylueſtribus oleribus propter annonę caritatem, quæ Veris tempore acciderat, vnde, & ipſa huiuſcemodi vlceribus ſcatuit. & alij quidam, qui in eodem agro ſimili victu vſi ſunt. Hæc ille.

Ex anni temporibus, multas ex lacte differentias capimus: non enim Vere, Aeſtate, & Autumno, equale habet temperamentum. Veris enim initio ſubtilius eſt, & aquæ aſſimilatur. In fine Veris, & Aeſtatis initio

tio temperatius eſt,& laudabilius. In fine Aeſtatis, & Autumni initio groſſius,& minus aquoſum. Capitur hoc totum ex Galen.3.Alim. facult. cap. citato. Secundum autem, inquit, anni tempora, lac poſt partum eſt liquidiſſimum;temporis verò progreſſu, magis ſemper, ac magis incraſſeſcit. Aeſtate verò media,ipſum etiam in medio ſuæ naturę conſiſtit,poſt id autem tempus,ſenſim iam craſſeſcit, quoad penitus deficiat. Vere autem vt liquidiſſimum, ita etiam copioſiſſimum. Hęc ille. Cauſa autem tantę diuerſitatis, (Auctore Iſaaco) eſt,quia Veris initio animalia partui propinqua ſunt,ob id,quia os matricis clauſum repperitur,aquoſi humores in eorum corporibus colliguntur,& neceſſario lacti commiſcentur,& aquoſum reddunt.

Hinc tali tempore conſpicitur,lac ſtomaco nocere, nam,& faſtidium, & aſperitatem generat: eſt tamen emolliens,& lubricum, aluumque laxans. Poſt dies autem quadraginta,quod eſt in fine Veris: & Aeſtatis principio, quia humiditas illa aquoſa ſenſim conſumitur, & actioni naturæ obediens redditur: in mammillis perfectè digeritur,& laudabile, atq; nutritiuum lac efficitur. In fine Aeſtatis, & Autumni initio calor acris augetur, & in lacte pars ſubſtantialis humiditatis eſiccatur: inde lac groſſius fit,difficile ad digerendum;& ad ſtipticitatem tendit;ex quo maximè in ſtomaco coagulatur,& malas generat infirmitates. In fine Autumni lactis humiditas ſubſtantialis,quaſi cõſumpta eſt,nec liquidum amplius obſeruatur. Hinc Hermes dixit,lac tempore partus tantùm eſſe humi-

H 2 dum,

dum, poſt paulatim indurari, & ingraſſari, & quaſi coagulari in fine.

Sed aliquis argueret, lac in animalibus parturientibus non eſſe liquidum, & ſubtile, vt diximus, ſed potiùs coagulatum, & groſſum, quale eſt illud, quod coloſtrum vocant. Cui dicimus, lac in mammillis diu retentum groſſius fieri, eo, quod à calore naturali eius humiditas conſumitur, & proinde coagulatum reſtat. Propterea lac partui vicinum, ſi ſtatim, vel poſt vnum diem emulgeatur liquidius alio lacte inuenitur: at ſi tam diù in mammillis immoratur, vt eius humiditas conſumatur, illud coagulatum, & groſſius efficitur.

Ex nouitate, & vetuſtate lactis, vltimò loco, triplex venamur temperamentum: illud enim vel recenter eſt mulſum; aut iam diù mulſum, aut medium, in omnibus equidem datur differentia. Nouiter mulſum magis eſt calidum, & temperatum, nam naturæ ſanguinis magis eſt propinquum: imò comparatione facta ad alia lactis genera laudabilius eſt, & magis nutritiuum. At ſi lac iam diù fuerit mulſum, dulcis naturā lactis egreditur, & ad frigiditatem, & ſiccitatem accedit inſtar aceti, cum à vino morbido originem ducit: cum autē lac à mulſione diſtauerit difficulter à ſtomaco calido digeritur, & multò difficilius à frigido. Attamen loco medicinæ ſtomaco calido in pauca ſumptum quantitate prodeſſe ſolet: in magna autem captum malum, & graue dat nutrimentum, & in renibus, & veſſica, arenas, & lapillos generat, maximè ſi ſtomachus à cibis non fuerit mundificatus, non tamen coagulatur in

ſto-

ſtomaco, ſicut dulce, quia iam duæ qualitates, humiditas,& caliditas albatę ſunt, quę coagulationem efficere conſueuere. At lac medium inter hæc tardiùs quàm dulce digeritur,velociùs autem, quàm acidum,quod ablata butyroſitate magis erit nutritiuum alio lacte,& maximè vaccinum. Hæc & alia ab Iſaaco notantur.

Hinc notandum, quod ſi lac diù fuerit repoſitum à ſua natura maximè recedit, & ex dulci acidum fit, vt Galenus 4.ſimplic.medic.fac.cap. 17. tetigit. Non enim amareſcit, vt mel, namque & ſi guſtu dulce ſit, ex ſeſe nunquam amarum efficitur, vincitur enim, ipſo Galen.auctore, à frigore magis caliditas, quam ipſa vincat:idcirco repoſitum aceſcit,& fit lac acidum, vt ipſe 3.de Alim.facul.cap.16.diſputauit.Euenit hoc lacti à temperata poſt exitum à mammis ſubſtantia eius,& à natura benigniſſima, quæ non patitur extra propria vaſa longam moram, alioquin alteratur, & à ſua qualitate recedit.

Artificioſa præparatione etiã comparatur lac acidum,quando in aere ſereno demittitur, & manè extrahitur butyroſitas,tunc enim lac acetoſum illud efficitur,quod Oxigalam vocant. Huius præpandi formam docuit Marcus Gattinaria in cura Dyſenteriæ. Oxigala autem adeo acetoſum eſt, vt dentibus ſtuporem inducat, qualis poſt mororum immaturorum, & aliorum omnium acerborum, & acidorum eſum euenire conſueuit. Propterea Oxigala inimicum eſt ventriculo, qui quauis de cauſa frigidior eſt,imò & temperato parum confert,nam ægrè conficitur. Contra

ven-

ventriculi iuſtò calidiores, vt Galen.voluit loc.citat. ſiue ab initio tales fuerint, ſiue à quapiam cauſa poſtea in eam temperiem ſint adducti, præter quã, quod nihil ab edulijs huiuſcemodi lęduntur, commodè etiã aliquo fruuntur. Quin hi quoque Oxigala ipſum, circundata niue prius refrigeratum indolenter ferunt, & alia conſimilia edulia, nec non, & aquam ipſam niue præparatam. In Oxigalæ paratu ſola relinquitur caſeoſa ſubſtantia, eaque ipſa non eiuſdem naturę eſt, qualis ab initio fuit, ſed ad frigidius conuerſa: idcirco frigidum, & craſſimum edulium fit.

De vſu, & generali lactis ſcrutinio, *Cap. 9.*

LActe vtimur Galeni conſilio 10. Simplic.med.facult. tum ad noſtri nutritionem, tum ad corporis medicamentum: idcirco de vtroque apparatu in hoc capite eſt diſcutiendum. Hoc enim ad multa edulia comparanda homines vtuntur, & medici ad pleroſque morbos, accommodant. Confugiunt enim non ſolum ad humanum lac, ſed etiam ad Aſininum, Caprinum: Baccinum, & Ouillum; Antiquitus deſumebant etiam ab equis, & Camelis, & ſuibus. Primas vices humanum obtinet, mox Aſininum, & Caprillum. Ouillum verò craſſum, & pingue eſt. Vaccinum autem craſſum: & cæteris pinguius.

At

Digitized by Google

At veniamus ad inſtitutum,& cum Galeno 15. de Vſu part.cap.7.dicamus,Naturam non modò animalibus alimenti inſtrumenta comparaſſe: verum atque ijs facultatem conceſſiſſe inſtar ſapientiæ muneris, vt genita ad alimentum ſibi ipſis familiare accederent. Hinc homini pro alimento lac comparauit, quemadmodum & animalibus,quę nutrienda forent:docuitq; à mammis quidem eius, quæ peperit alimentum capeſſendum. Nam ſi quis papillam mammæ ori infantis indiderit, confeſtim quidem eam ſuis labijs conſtringet: protinus autem buccis dilatatis ſuccum attrahet, poſt autẽ curuata lingua in fauces propellet, perinde ac ſi id,multo ante tempore didiciſſet. Inde autem ſtomachus in ventriculum deducit, & ipſe velut edoctus,vbi eo eſt vſus,mittit in inteſtinis;quod ſibi eſt ſuperfluum: Hæc autem deinceps ſibi mutuo diſpertiunt:vſque ad poſtremum. Nec aliud alimentum natura in primordio comparauit animantibus, cum enim tenera adhuc ſint,& imbecilla recens nata animalia,edulia ſolida non dum poſſunt conficere: ob eam igitur cauſã natura perinde,ac ſi vtero adhuc gererentur: alimentum ex matre ipſis comparauit. Quibus verò animalibus propter corporis ſiccitatem humor ſuperfluus ſubnutriri non poterat, vt volucribus omnibus,ijs natura nouã quandam,pullos educandi rationem excogitauit: ipſis enim præcipuum quemdam amorem in ea,quæ procrearunt ingenerauit: quo impulſa bellum pro pullis cum ferocibus animalibus, quæ ante declinabant, intrepidè ſuſcipiunt; victumque ipſis conuenientem ſuppeditant.

Hęc

Hęc Galen. 14. de vſu part. 4.

Si ergo lac natura primò in alimentum infantibus præparauit: non erit alienum ab inſtituto, aliqua de nutrice eligenda verba facere. Vtique Galen. 3. Aliment. facult. 15. Lac matris melius eſſe, quam alijs, modò non ſit ægra commonuit, eodem enim ſanguine, à quo in vtero fuit nutritus infans educatur: quod ſi propriæ matris lac ſugere non poterit, nutrix eligatur nullo morbo obnoxia, ea autem nec nimium vetula, nec adoleſcens laudatur, & illa electa iudicatur Pauli Aeginetæ conſilio lib. 1. cap. 2. quæ quinque & viginti annos compleuerit, & grandior quinque & triginta non excedat: pectore ſit amplo, mammis magnis, papillis ſubtioni aptis, corpore nec nimiùm obeſo, nec nimiùm gracili, prçſtabit ſi nutrix non multò ante peperit: maiuſque ſi maſculum. Non ſit rixoſa, non malis moribus imbuta, non vitioſa, inepta, aut crudelis: ſed mitis, & prudens, nam ex lacte matris infans qualitatem trahit, vt in lib. de ſpermate Galen. Hinc ob acceptum nutrimentum, à parentum natura recedunt infantes, & ad nutricis vitia, vel prudentia inclinationem quamdam habent, vt nos in Hortulo Geniali de Nerone examinauimus. Probauimus eius genitores benigniſſimos fuiſſe: ille autem à crudeliſſima nutrice lactatus, & connutritus, propriam matrem interfecit. Ob id etiam ſapientes, Romulum à Lupa lactatum fuiſſe prodidere, ſiue verum dixerint, aut finxerint: fuit enim Romulus ferinis moribus, callidus, fortiſſimus, & incommodi patientiſſimus, vt lupi. Scribitur, à Cane, Cyrum fuiſſe nutritum. Telephum Her-

culis

Digitized by Google

culis filium à Cerua, Peliam Neptuni filium ab Equa. Alexandrum Priami à Vulpe, Aegiſtum à Capra: quorum mores apud ſcriptores noti ſunt, adeo quod apertè noſcimus, infantes à nutricibus mores, & temperamentum recipere. At hęc omnia virtute animi moderari poſſunt.

Lac humanum citra puerorum alimoniam, in pleriſque humani corporis morbis à medicis vſurpatur, tum intrinſecè, tum extrinſecè addictum. Hinc Galen. lib. 4. de Compoſ. med. ſecund. loc. in Collyrijs oculorum admittit, atque in acribus fluxionibus per hæc verba. Hæc ipſa verò Collyria quidam in Cotibus terunt, boni ſucci lacte ex nutricum vberibus inſtillato, vt obductoriam meatuum vim, quę in ipſis ouis eſt, euitent, cum in lacte ſeròſa quædam exterſoria vis contineatur, cuius vſus congruens eſt ad propoſitam curationem. Hoc etiam confirmauit 10. Simplic. med. fac. dum dicebat. Porrò lac totum ad acres oculorum fluxiones tum per ſe, tum cum mollium collyriorum quopiam eſt vtile, pręterea ad hypopia, & hypoſphagmata. Quin etiam palpebris extrinſecus, vbi qui ophtalmia laborant ſomno ſe dabunt, impoſitum ſimul cum roſaceo, & ouo phlegmonas eorum concoquet. Sed hoc eſto lac mulieris recens ex mammillis expreſſum. Infundimus ipſum, & vtero vlcerato tum per ſe ſe, tum ijs medicamentis commiſcentes, quibus miſceri poteſt, vtique citrà morſum curantibus, & vbi in ſede vlcera mitigamus præ ſaniei acrimonia dolentia, aut phlegmonas, aut ſtolidas perpetientia. Sic & ad vlcera pudendorum vtimur, & ad omnia, quæ le-

niri poſtulant, ſiue ob phlegmon, ſiue ob morſum, ſiue ob malignitatem, ea propter; & cancroſis applicatur vlceribus medicamentis anodynis commiſtum, qualia ſunt, quę conſtant ex pompholyge. Et quid attinet commemorare, quod ore contentum, & collutum, garzarizatumque, vel maximè phlegmonas eius mitigat? Sed & tonſillas, & columellam, & antiadas phlegmone affectas admodum mitigat, & proinde etiam ſynachen, ſiue anginam. Atque vt ſemel dicã, medicamentum eſt leniens, totam quidem ſubſtantiam habens mordacitatis expertem. Sic mihi videntur etiam medici ad venena, quæ eroſione interimunt lac dari ſuadere, veluti ſunt lepus marinus, & cantharis. Sed & ſunt, qui exhibent ijs, qui aconitum, & thapſiam ſumpſerit. Hęc ille.

In lib. 3. de Med. paratu fac. dum Galen. rationem victus, in cibis, & ieiunio doceret. Si ſitias, inquit, temperatam aquam bibito, & balneum egreſſus oleo, & mulieris lacte, quę fœminam peperit caput irrigato. Et in eodem lib. ad dolorem auris, pręcipit, vt ruta ex mulieris, quę marem peperit lacte tepefiat, & inſtilletur. Ad multa alia, localiter impoſitum vſurpatum eſt lac muliebre, de quo quęras apud auctores.

Inter affectus, in quibus intrinſecè lac muliebre propinatur. Tabet habet primas, quę cum conſiſtat in pulmonis vlcere, nullum habet pręſtantius remedium, quam lactis humani partum. Legitur hoc in Galen. lib. de ſuccor. bonit. & vit. cap. 4. lac quidem optimi eſſe ſucci ab omnibus medicis ſcriptum reperitur, atque ideo ſunt, qui exiſtiment, quibus vlcus in

in pulmone fuerit, poſſe ſolo huius vſu ſanari; dumtaxat ante quam magnum id,& calloſum fiat. Muliebre porro lac,vt familiare, eiuſdemque nobiſcum naturæ cęteris pręferunt ad tabificos affectus, cum alij quidam medici,tum verò Euryphon in primis, & Herodotus: atque ita affectos pręcipiunt mulieris mammam infantium ritu exugant, quoniam vt mammis primùm excidit proprię facultatis non nihil deperdat. Hoc etiam confirmauit 7.Meth.med.cap.6. in quo textu, quia multi lac muliebre abhorrentes ad Aſininum confugiunt, eos deludens in hęc prorupit verba. Sed quoniam id exhiberi ſibi ceù pueris plerique recuſant, vtique ceù Aſinis, Aſininum ipſis dari conueniet. Propterea in caſu hoc, nolentes lac humanum,ad Aſininum eſt,vt deueniant: illud autem ſi fieri poteſt ex mammis ſugatur, aut ſtatim mulſum, dum adhuc calet bibatur in hecticis,& ventriculi ſiccitate morboſa, licet ad Caprinum refugiant medici aliquot: tamen muliebre magis eſt idoneum, vt poſſit natiuum calorem reficere; Hoc enim non ſolum calefacit,& ſubſtantificè humectat,verum etiam ſua tenacitate vehementer ventriculo adhęret.

In mania pręſtantiſsimum eſt, in huiuſmodi enim affectu bilem intendimus, tum contemperare, tum craſſiorem reddere, ſic & in omnibus morbis ex ſiccitate dependentibus: Dicam quod mihi ſucceſſit iam aliquot anni ſunt, in cura Illuſtriſs. D. Marcelli Cabanilij iunioris,Marchionis Sancti Marci,domini mei. Hic inuaſiones epilepticas patitur, & cum à Medico quondam validiſſima accepiſſet remedia, calida, &

exiccantia in maximas deuenit vigilias, & vltimo ad maniam, qua de cauſa meo conſilio lac humanum ab vberibus electæ nutricis per nonnullos menſes ſuxit, & Dei munere à mania fuit liberatus. Hoc etiam pręſidio, in multis puerulis vſus ſum: Illi enim ætate grandiores, relicto lacte, ad cibaria ſolida deuenerant: mox febribus capti, relictis ſolidis alimentis, & ad lac humanum recurrentes, breui priſtinam ſanitatem adepti ſunt.

De lacte Aſinino.

LAc Aſininum cum humano, magnam habet affinitatem, nam & hoc minimùm habet pinguedinis, proinde rarò in ventriculo cogitur, ſi ſtatim, vt mammis excidit, calidum fuerit epotum. Galen. 3. Alim. fac. 15. conſulit, ſal, & mel, in lacte adijciendum, hac enim via fieri non poteſt, vt ipſum in ventriculo concreſcat. Eandem ob cauſam magis per aluum deijcitur, vt quod ſerum multum habeat, à quo lac omnem facultatem deijciēdi accipit, vti à caſeoſa ſubſtantia ſiſtendi. Et in 7. Method. med. cap. 6. vbi de curanda corporum ſiccitate pertractat, in cura ventriculi ſiccitate affecti duo remedia extollit, lac Aſinæ loco humani, & aquæ dulcis balneum. Ab huiuſmodi, inquit, lauacro ſtatim Aſininum exhibui lac, ſed inducta in ipſam, qua iacebat domum Aſina. Quippè ſic mihi perſuaſeram, maximè quidem celeriter hominem ſanandum ſi fieri poſ-

ſet,

Digitized by Google

ſetivt ipſe Aſinam ſugeret;ſin id grauaretur expedire, vt quam minimo tempore in aere ambiente lac moraretur, propterea, quod celeriter mutari ſit aptum. Hæc ille. De cura hac, & modo lac Aſinæ exhibendi, vide Leon. Ioachimum in lib. 9. Baſis cap. 43.

Hippocr. in 1. de morb. mul. tex. 113. Si ex partu, inquit, ſanguinem vomat, huic Epatis fiſtula ſauciata eſt, hęc lac Aſinę bibat, deinde Vaccę ad quadraginta dies, & tex. 116. Si verò mente percellatur ipſa bibens lactis Aſinini poculum bibendum dato.

Galenus in 6. de ſanit. tuend. cap. 11. in quo de cuſtudiendis ijs, qui renum calculo, vel articulorum vitijs laborare ſolent, verba facit, lac Aſinæ diſpenſat, & reliquorum animalium prohibet. Horatius Augenius lib. 2. cap. 8. Prioris Tomi, lac Aſinæ non conuenire pro curatione calculi diſputat, ad mentem Galeni, ſed ad pręſeruationem tantum: nam cęteris omnibus eſt tenuius. In 5. de ſanit. tuend. 7. lac Aſinæ ex Galen. tenue, & ſeroſum iudicatur, & lib. 10. ſimplic. med. fac. vt eius ſubtilitatem apertiùs oſtenderet, ex illo nequaquam caſeos confici dixit, nam id plane tenue eſt. Propterea quia omnibus humidius eſt ventrem magis ſubducit, vt Hippoc. 4. de Rat. in acutis: 109. & Galęn. in Com. lacte Aſinæ vtitur in dolore ventris, quod inter purgantia medicamenta, mitiùs, tranquilliuſque exiſtat.

Horatius Augenius lib. 3. alterius Tomi epiſt. 1. vtitur lacte Aſinæ pro præſeruatione ſputi ſanguinis à pulmone ex eroſione, & ruptura. Hoc antiqui vtebantur in Hydropis curat. vt idęm in cap. de Cauterio-

rum

rum vſu tetigit in hoc libro.

Hippocrates in lib. cit. cap. 7. in cura Cauſi vtitur lacte Aſinæ cocto: reddit rationem Galen. in Comm. quod omnino quidem eam, quæ in ventre eſt, bilem vacuare pręcipiat, quia tamen purgantia medicamenta, vt acria, & calida timebat, ob id ad lac Aſinæ deuenit, vt pote, quod nullam, vt non aliud vllum, habeat acrimoniam, ſed præ omnibus vnum, humiditate ſuperet, atque ob id ſolum ventrem ſubeat. Præcoquit autem ipſum ob flatum. Hinc in tex. 113. lac Aſinę docuit expurgare, & contemperare poſſe. Inſuper in eodem lib. Hippoc. in torminibus ſine febre, lactis Aſinini calidi primo pauxillum, bonum eſſe docet, deinde ſenſim, paulatimque plus bibendum: & Galen. in 5. de Compoſ. med. ſecund. loc. hoc vtitur, pro roborandis dentibus. Et in lib. de Marcore cap. 9. in Tabidis loco lactis humani; ſic & in hecticis, vt videre eſt 10. Meth. med. cap. 11. in cura hecticæ, qui maraſmus dicitur. Dandum, inquit, itaque principio Aſinini lactis non plus cyatho: ſed inducta in ipſum cubiculum Aſina, quo nullum tempus interponatur: ſed æger id protinus bibat, contemplantibus diligenter nobis, ac conferentibus arterię motum, qui à ſumpto lacte agitur cum eo, qui ante id ſumptum fuit. Si enim corruptum ſit, eiuſmodi inuenies pulſus, cuiuſmodi in oris ventriculi afflictione accidere noſti. Sin autem corruptum non ſit, & maiores, & valentiores redditos inuenies. Itaque etiam licebit, cum poſtea exhibebis menſuram lactis dimidio cyatho adaugeas, ac rurſus deinde alium dimidium adijcias, ſicque ſen-

ſim

ſim vſq; ad mediocrem menſuram addas. Hæc ille.

Sed incidimus in quęſitum, quod in 5. de ſanit. tuend.cap.7.capitur. Lacte Aſinino ſcilicet, & caprino vicibus vti cur ſit melius? Cui reſpond. Galenus, Satius eſſe alterum Capram, alterum Aſinam eſſe; earumque lacte vicibus vti:quippe Aſinæ lac tenue, ſeroſumque eſt, Capræ mediocris ſubſtantię. Itaque hoc nutriet magis, vbi videlicet nutritione eſt opus; Illud omnino tutius eſt.

Sed aliud non minus dubium ſe offert. Vtique dictum eſt ne lac coaguletur in ventriculo ſal, & mel adijciendum, contrarium ſentit Dioſcorides, dum omne ſalis genus deteſtatur, dicens; Sed nulla ſalſigo obijciatur, quoniam magis lac coiret, & in caſeum denſaretur. Cui quęſito dicimus. Sal, lacti miſtum prohibere denſationem, & coagulationem fieri in ſtomaco, vt Galen. 3. Alim.fac.dixit; at ſi lac denſatum fuerit, & concretum in eo, ſal, atque res ſalitas id magis denſare, & concreſcere facere. Dioſcorides ergo ad lac in ventriculo compactum, & coagulatum reſpexit; Galenus verò ad lac, antequam bibatur, ne in vētriculo concreſcat. Vide Amatum Luſ. expurgatum Centur.6.Cur.56.in Schol.

De lacte hoc, Zaccharias à Puteo in Tract. Cōſult. ſect.11. verba facit. Cuius facultas, inquit, bilem eſt euacuandi. Cacochymiam admouēdi, humorum acrimoniam delendi, & doloris ſedandi, & inter cętera purgantia medicamenta mitius, & tranquillius reperitur. Id quoque Aſinæ, lacte omni alio humidius, ſeroſius, ac tenuius exiſtit.

De

De lacte Caprino.

AT ad lactis Caprini facultates deueniamus. Hoc etenim Aſinino quaſi congener exiſtimatur, licet magis nutritiuum, quapropter tertium locum mereri iudicamus. De hoc Galenus 3. Alim. facult. 15. Pinguiſſimum itaque,inquit,vt diximus,eſt lac Bubulum, Ouillum verò,ac Caprinum,habent quidem, & ipſa pinguedinis quidpiam: ſed multo minus. & 5. de ſanit. tuen. cap. 7. Caprinum eſſe mediocris ſubſtantiæ aſſeruit: idque apertius confirmauit 5.Method.med. 12. dum lac Caprarum medium inter ſpiſſum, & tenue poſuit. Idcirco propter ſui bonitatem conueniens iudicauit noſtris corporibus.

In lib.1.de ſucc.bonit.& vitio.4. Galenus plurimũ apud nos lactis Caprini vſũ eſſe,eo qđ nec immodicè pingue,neque verò craſſum eſt, ſed in medio exiſtere, cum tenue,& ſeroſum ſit, & minus nutritiuum, quo fit,vt ventrem magis ſubducat: contrà eſt craſſum,cũ minus aluum emolliat,& magis nutriat.

Auicenna lib.2.in cap. de lacte. Lac Aſininum, & Caprinum tuſſi conferre ſcripſit,extenuationi, & ſputo ſanguinis,Hydropiſi,& duritiei ſplenis.Et in eodem cap. lac Caprarum vlceribus veſſicę valere, & nocumento coitus ſuccurrere, voluit, & hecticis conferre.

Vt autem hoc tutò ſumi poſſit, cum melle pauco,

zacca-

Digitized by Google

zaccaro,vel aqua ſumendum eſt;multis enim, qui ſolum id ſumere auſi ſunt in caſeum fuit coactum in ventre,quod cũ contingit, mirũ, quam hominem degrauet,& ſuffocet. Propterea oculatiſſimi medici in lactis exhibitione, abſq; melle,ſale,zaccaro,vel aqua non concedunt.

De lacte Ouium.

LAc Ouium,licet multò minus pingue, quam Bubulum ſit, tamen Caprinò lacte craſſius eſt,quod non ſiluit Gal. 3.Alim.fac.cap.15.Hinc Ouillũ plus caſei retinere cernitur, ex quo apud multas nationes in vſu eſt pro alimento,& multis edulijs comparandis. Hoc propter ſui craſſitiem,& pinguedinem haud tutò ægris conceditur,cum potius ad Aſinarum, vel Caprarum ſit con fugiendum, cum tuti ſimus de eorum lactis ſeroſitate, quæ vt Galen.expreſſit, in lib.de ſucc. bonit. & vit. cap.4.in lacte Ouium tanta non eſt. Ex tribus namq; ſubſtantijs lac conſtat,quod diſſimilium eſt inter ſe partium,quarum vna ſeroſa eſt,& tenuis, craſſa altera,ac caſeoſa: tertia verò pinguis, & oleoſa. Neque tamen in omnibus animantibus æqua harum portio eſt: nam in Camelarum,atque Aſinarum lacte,ſeroſæ humiditatis plurimum ineſt, caſeoſæ in Ouillo, pinguis in Bubulo,Capræ pro reliquis animalium generibus intra exceſſum omne mediocriter ſe habet.

Quia autem craſſum,& caſeoſum eſt lac Ouium,

propterea,& obſtruere, & nocere nephriticis, aſtmaticis,iiſque conſimilibus morbis clariſſimum eſt. Hinc Apollonius, qui Abderæ ęgrotabat, vt retulit Hippoc. 3.de morb.vulgar.com.3. tex. 84. ex vſu lactis cocti, crudi,& copioſi caprini,& ouini,multum offenſus eſt, nam febres exacerbatæ ſunt,venter nihil ingeſtorum effatu dignum reddidit,vrinæ tenues redditæ, & paucę,ſomni non aderant, inflatio mala,magna ſitis,comatoſus erat,Hypocondrij dextri eleuatio cum dolore,&c. Conuenit ergo ad obſtruendum lac huiuſmodi,quando opus eſt, ad reſtringendas fluxiones, & ad omnia ea, quibus craſſities vtilis iudicatur. At ſatius eſt dimittere pro comparando caſeo,& edulijs parandis,quam ore ſumere ad medicum vſum. In aluis verò fluxionibus,ſi glutinare vlcus contractum, fluentē aluum ſiſtere,acrimoniam obtundere volumus, ouillum pręſtantiſſimum eſt. At ſi abluere,& abſtergere expedierit,Caprinum eſt eligēdum. Vide Horat. Aug. lib. 10. Tomi prioris. Epiſtola 3. Cętera de lacte hoc inferius habebimus.

De lacte Vaccino, ſiue Bubulo.

VAccarum lac, vt alias dictum eſt, & vt Galenus aſſeruit 3.Alim.fac. 15. craſſiſsimum,& pinguiſſimum eſt,& perinde multi alimenti. Quia autem pinguem ſuccum habet, paſtores ex eo Butyrum cōficiunt: quod guſtu, viſuque quantùm pinguedinis retineat, facilè cogno-

cognoſcimus. Hinc ex hoc, caſeum illum comparant, quem Hyppacem nominant, nec non & ex Vaccis Bufalis caſeum butyratum, vulgus Prouolas vocat, tantę ſuauitatis, vt videris caſeum pinguiſsimum, & tenerrimum comedere.

Hippocrates lib.7.Epidem.Hiſt.4. de Filio Eratolai Dyſenterico. Huic poſt quadrageſimum tabeſcenti, per dies duodecim, ſummo mane, lac bubulum dedit, ad duos cyathos quotidie, ſcilicet menſuram trium vnciarum. Hoc facultatem expurgandi longè inferiorem Aſinino habet, pingue tamen eſt, & nutrit multo plus, quapropter tabeſcenti ex dyſenteria poſt expurgationem erat accommodatiſſimum. Vtique Tabes poſt corporis expurgationem, nutritionem petit, & Dyſenteria ijdem poſt exterſionem iniunctione opus habet ex aliquo pingui. His habens Hippocr. intentum, lac bubulum conſuluit, cui potioni matutinæ, aquæ ſextam partem, & vini nigri auſteri parum addebat. Hinc fiebat potio pinguis, nutriens, & non nihil aſtringens. Hęc autem potio ex lacte, & vino commiſtis apud antiquos familiaris erat, at hoc tempore nullus eſt eius vſus.

Tractarem de lacte Equarum, Cameli, Canis, Suis, &c. Sed quia in Italia talibus non vtimur, omitto: ſufficiant ea, quæ de talibus in Opuſculo percurri.

Digitized by Google

De Generali lactis ſcrutinio.

Veniamus modò ad generalem lactis cõſiderationem, vt quæ paſſim ſuperiùs adnotauimus, clariora fiant. Dioſcorides lib. 2. cap. 63. auctor primarius, communiter lac vniuerſum humores bonos generare, bonamque afferre nutritionem, & corpus mollem facere ſcripſit, licet & in inteſtinis, & ventriculo aliquam pariat flatuoſitatem. Quas dotes non ſiluit Galen. 5. de ſanit. tuend. cap. 7. Porrò, dicebat; commoda lactis iam alijs ante me medicis dicta ſunt: nempè ventris moderata deiectio, ſucci bonitas, & nutritio; Hinc legitur apud multas nationes lac ſumi conſueuiſſe. 6. de Hippocr. & Plat. decretis.

Narrat Galen. lib. citato, ſenem quendam agricolam, ex vſu lactis caprini, ampliùs, quàm centum annos ruri vitam egiſſe. Hic alias cum mica panis in eo macerata ſumebat, aliàs mel miſcebat, aliàs coxit, etiam thimi cacumina vnà cum pane inijciens. Sunt enim plurimæ vtilitates, quę à lacte proueniunt, cũ methodicè capitur. Si quidem illud cerebrum auget, corpus impinguat, hecticis prodeſt, vrinæ ardorem compeſcit, affatim nutrit, calorem corpori vegetum, & floridum conciliat, & Venerem auget. Humanum omni lactis generi longè antefertur, deinde Aſininũ,

tertio

Digitized by Google

tertio Caprinum, demum Ouillum, vltimo Vaccinũ, quorum pro paſcuorum natura vnumquodque in ſuo genere prçſtantiſſimum iudicatur. Ad hçc anni ratio, & ætatis animalium, vt aliàs dictum eſt, non minimam nobis præbet conſiderationem.

At referam generales dotes, quas lacti Galenus tribuit 3. Alim. fac. cap. 15. Lac, inquit, quod ſeri habet plurimum, etiam ſi ſemper eo vtare, nihil penitus afferet periculi, quod verò huiuſcemodi humilitatem habet exiguam, caſeoſam autem craſſitiem multam, omnibus, qui ipſo multum vtuntur periculoſum. Nam eos quidem renes offendet, qui calculis generandis ſunt appoſiti. Iecur item obſtruit ijs, qui hoc affectui facilè præhendi poſſunt: tales autem ſunt, quibus fines eorum vaſorum, quæ cibum ex ſimis viſceris in gibbam tranſumunt, ſunt anguſti. Thoracis autem, ac pulmonis partibus lac omne eſt vtile, capiti verò niſi quis ipſum habeat admodum firmum non eſt accommodum, vt nec hypocondrijs, quæ levi de cauſa inflantur: in plurimis enim in ventriculo vertitur in flatus, ſuntque pauciſſimi, quibus id non accidat. Si verò cum aliquo eorum cibariorum, quæ craſſi ſunt ſucci diutius elixum fuerit, flatuoſam quidem naturã deponit, ſed iecur magis obſtruit, & calculos in renibus promptiùs gignit. Hæc ille.

At in alia incommoda, quę ex lacte poſſunt prouenire percurrere exagitas, lege eundem Galen. lib. 5. de ſanit. tuend. cap. 7. Percurramus modò alias dotes, quę ab eodem attribuuntur lacti, in lib. 10. de ſimplic. med. fac. & eius propria verba adducamus. Porrò, inquit,

quit,lac totum ad acres oculorum fluxiones tum per ſe,tum cum mollium collyriorum quopiam eſt vtile: preterea ad hypopia,& hyposphagmata. Quin etiam palpebris extrinſecus, vbi qui ophthalmia laborant, ſomno ſe dabunt impoſitum ſimul cum roſaceo, & ouo phlegmonas eorum concoquet. Sed hoc eſto lac mulieris recens ex mammillis expreſſum. Infundimus ipſum,& vtero vlcerato, tum per ſe ſe, tum ijs medicamentis commiſcentes,quibus miſceri poteſt,vtique citra morſum curantibus: & vbi in ſede vlcera mitigamus præ ſaniei acrimonia dolentia, aut phlegmonas,aut ſtolidas percipientia. Sic & ad vlcera pudendorum vtimur,& ad omnia,quæ leniri poſtulant, ſiue ob phlegmonem, ſiue ob morſum, ſiue ob malignitatem. Ea propter,& cancroſis applicatur vlceribus medicamentis anodynis commiſtum, qualia ſunt, quę conſtant ex pompholyge.Et quid attinet commemorare, quod ore contentum, & collutum, gargarizatumque, vel maximè phlegmonas eius mitigat? Sed & tonſillas,& columellam,& antiadas phlegmone affectas admodum mitigat,& proinde etiam ſynachen ſiue anginam. Atque vt ſemel dicam medicamentum eſt leniens, totam quidem ſubſtantiam habens mordacitatis expertem,ſed multo magis, vbi concoctioni moderata potiſſima pars ſeroſi humoris abſumpta eſt. Sic mihi videntur etiam medici ad venena, quæ eroſione interimunt lac dare ſuadere, veluti ſunt lepus marinus, & cantharis: Sed & ſunt, qui exhibent ijs,qui aconitum,& thapſiam ſumpſerunt. Sed hęc ex ratione fecerunt. Hęc ille.

Ex

Ex ſolerti Galeni diſcurſu ratio ſuadet, vt nõ ſicco pede enarrata pertranſeamus, cùm in quibuſdam affectibus lactis vſum ſalubrem eſſe multi norint. At alij complures ſuſpectum illud habent, moti ex facili eius alteratione, modò enim in nidorem, modò in aciditatem mutatur, vt voluit Galen. ſuper 5. Aphor. 54. Quapropter vt his diſſentionibus metam imponamus multa percurrenda ſunt, vt lactis vſus, in quibus competat affectibus eluceſcat.

Equidem ſi eius temperamentum reſpicimus, qui in toto corpore, aut principibus partibus ſicca intemperie laborant auxilium maximum adducere poſſe confitebimur. Capitur hoc ex Galen. 7. Meth. 6. Nec ſine ratione cõferre putamus, à lacte enim duplex humectatio ſuppeditatur, nutrimentalis, & medicamentoſa: hinc duplex ſuccedit auxilium. Etenim à prima, illud eſſe optimi ſucci, & perinde optimè nutrire noſcimus: reſpectu ſecundę pro corrigenda ſiccitate optimum eſſe medicamentum declaramus.

His rationibus, ſenibus ſalutare prę ſidium, lac eſſe ſapientes comprobant: ſi enim eorum corpora ſolidarum partium ſiccitate plurima redundant, veriſimile eſt à lacte adiuuari, & connutriri. In eo etenim vis eſt moderatæ deiectionis, ſucci bonitas, & facilis nutritio, quæ omnia à Galen. 1. de ſanit. tuend. cap. 7. pro ſenum regimine mirè commendantur. Vide Fumanellum de Senum Regimine.

Prętereà in calida corporis intemperie lactis potio magnum affert emolumentum: illud enim propter propriam temperiem, extraneam caliditatem valet attem-

quit, lac totum ad acres oculorum fluxiones tum per ſe, tum cum mollium collyriorum quopiam eſt vtile: preterea ad hypopia, & hyposphagmata. Quin etiam palpebris extrinſecus, vbi qui ophthalmia laborant, ſomno ſe dabunt impoſitum ſimul cum roſaceo, & ouo phlegmonas eorum concoquet. Sed hoc eſto lac mulieris recens ex mammillis expreſſum. Infundimus ipſum, & vtero vlcerato, tum per ſe ſe, tum ijs medicamentis commiſcentes, quibus miſceri poteſt, vtique citra morſum curantibus: & vbi in ſede vlcera mitigamus præ ſaniei acrimonia dolentia, aut phlegmonas, aut ſtolidas percipientia. Sic & ad vlcera pudendorum vtimur, & ad omnia, quæ leniri poſtulant, ſiue ob phlegmonem, ſiue ob morſum, ſiue ob malignitatem. Ea propter, & cancroſis applicatur vlceribus medicamentis anodynis commiſtum, qualia ſunt, quę conſtant ex pompholyge. Et quid attinet commemorare, quod ore contentum, & collutum, gargarizatumque, vel maximè phlegmonas eius mitigat? Sed & tonſillas, & columellam, & antiadas phlegmone affectas admodum mitigat, & proinde etiam ſynachen ſiue anginam. Atque vt ſemel dicam medicamentum eſt leniens, totam quidem ſubſtantiam habens mordacitatis expertem, ſed multo magis, vbi concoctioni moderata potiſſima pars ſeroſi humoris abſumpta eſt. Sic mihi videntur etiam medici ad venena, quæ eroſione interimunt lac dare ſuadere, veluti ſunt lepus marinus, & cantharis: Sed & ſunt, qui exhibent ijs, qui aconitum, & thapſiam ſumpſerunt. Sed hęc ex ratione fecerunt. Hęc ille.

Ex

Ex ſolerti Galeni diſcurſu ratio ſuadet, vt nõ ſicco pede enarrata pertranſeamus, cùm in quibuſdam affectibus lactis vſum ſalubrem eſſe multi norint. At alij complures ſuſpectum illud habent, moti ex facili eius alteratione, modò enim in nidorem, modò in aciditatem mutatur, vt voluit Galen. ſuper 5. Aphor. 54. Qua propter vt his diſſentionibus metam imponamus multa percurrenda ſunt, vt lactis vſus, in quibus competat affectibus eluceſcat.

Equidem ſi eius temperamentum reſpicimus, qui in toto corpore, aut principibus partibus ſicca intemperie laborant auxilium maximum adducere poſſe confitebimur. Capitur hoc ex Galen. 7. Meth. 6. Nec ſine ratione cõferre putamus, à lacte enim duplex humectatio ſuppeditatur, nutrimentalis, & medicamentoſa: hinc duplex ſuccedit auxilium. Etenim à prima, illud eſſe optimi ſucci, & perinde optimè nutrire noſcimus: reſpectu ſecundę pro corrigenda ſiccitate optimum eſſe medicamentum declaramus.

His rationibus, ſenibus ſalutare prędium, lac eſſe ſapientes comprobant: ſi enim eorum corpora ſolidarum partium ſiccitate plurima redundant, veriſimile eſt à lacte adiuuari, & connutriri. In eo etenim vis eſt moderatæ deiectionis, ſucci bonitas, & facilis nutritio, quæ omnia à Galen. 1. de ſanit. tuend. cap. 7. pro ſenum regimine mirè commendantur. Vide Fumanellum de Senum Regimine.

Pręterea in calida corporis intemperie lactis potio magnum affert emolumentum: illud enim propter propriam temperiem, extraneam caliditatem valet attem-

attemperare. Vide Auicen. lib. 2. in cap. de lacte commendantem illud in caliditatis dominio. Sed quis diceret, hoc eſſe contrà noſtras poſitiones, diximus enim ſuperius lac eſſe calidius ſanguine. Cui dicimus, lac licet ſit calidius ſanguine, & perinde temperatam habere naturam, reſpectu tamen dominantis caliditatis, frigidum dici poſſe, quemadmodum aſſerere poterimus lac muliebre frigidius eſſe virili temperamēto, & eo magis ſi febrili intemperie detineretur. At non per hoc ſequitur in eodem corpore, & in eodem temperamento vinci illud à calore ſanguinis, cum benè probatum ſit ex noua coctione illud fieri calidius.

Sed accedamus ad ſingularum partium affectus, quibus lac conuenire volunt. In horum numero ab Hippoc. 5. Aphor. primo loco adducitur Phtiſis, ſeu tabes, quę pulmonis eſt exulceratio, ſiuè vlcus, nec ſine ratione, tabidi enim ſi à lacte iuuamentum non capiunt, haud ab alio ſperare poſſunt, quippe ad vlcus ſanandum, & ad carnes reficiendas, lac omnium optimum iudicatur, vt Aretęus 1. Cur. Diutur. paſſ. cap. 6. Nam & pus, quod eſt in pulmone abſtergit, & vlcera eiuſdem conglutinat, ęgrotoſque nutrit, vt Galen. lib. 5. Method. med. cap. 12. Et de Cib. boni, & mali ſucci lib. aſſeruit. At ſi ægroti in Tabe humanum renuerint, & ad aliorum animalium accederint, illa herbis accommodatis nutriri debent, vt ibidem de Tabijs narrat, in quo curationem vlceris aſperæ arterię, & pulmonis percurrit, atque de lactis perfectione apud Tabias verba facit, aſſertque hiſtorias ſuarum curat. in quibus lac dederit.

Sed

Sed dubitatur, an lac conuenire poſſit vlceribus, cũ humidum ſit,& illa exiccatione egeant. Reſp. Mercurialis ſuper Com.1.Aphor.lac dari ab Hippoc.vel, vt alimentum,vel vt medicamentum, ſed diuerſimodè, vtimur enim humano ad nutriendum,Aſinino,vel Caprino ad purgandum.

Lac ergo conuenit Tabidis, hac tamen cautela, ſi enim putridam febrem habuerint, lac interdici poteſt: citò enim in talibus corrumpitur, & febris augetur non ſine ęgri periculo. Hoc tetigit Hippoc.in 5. Aphor.dum dixit,lac Tabidis conuenire, ſi non multum valdè febricitant,per quæ verba putridam innuit; Equidem Phtiſici omnes febrem habent vel hecticam, vel ex puris generatione,ex quadam veluti ſanguinis ebullitione;ijs omnibus lac conuenit,at non,qui multum valdè febricitant, ſcilicet putrida, & miſta cum Hectica.

Melancholici, & illi pręſertim, qui ad inſaniam peruenerunt,à lactis vſu maximum capiunt beneficiũ, vt ſuperius narrauimus. Teſtis ſit Auicenna in lib.2. loco cit.vbi lac triſtitię alienationi, & ſiccę obliuioni conferre ſcripſit. At quod dignum eſt ibidem, vt literis mandemus, Lac Caprillum catarrhis conuenire affirmauit,cuius viri ſententia multis ſuſpecta viſa eſt, cum Hippoc.in 5.Aphor.ſcripſerit.Lac capitis affectibus nocere. Ego ſum huius opinionis, Auicenn.de acribus catarrhis loqui voluiſſe, in quibus lac poſſet conferre, quemadmodum ad acres alui fluxiones cõmendatur.

Non minus vtilis in Cardialgia, & alijs ventriculi

eroſionibus lactis potio eſt. Illud enim remittere, & prauam humoris qualitatem in eo redundantem hebetare creditur, ſæpèq; non ſolum compeſcere, verum atque per aluum infernè traducere. Quia autem huic ſymptomati febris comes eſſe aliquando ſolet, ex experimentis audax factus ſum, multoties morbi cauſam relinquere, & grauiori ex lactis potu affectui opem ferre, vt inde morbus ipſe corrigatur.

Lac epotum dum valere iudicatur in calida totius corporis calida intemperie, non eſt dubitandum tempeſtiuè datum in alijs corporis partibus æqualiter afflictis eandem opem afferre, propterea tum hepatis calores, & accenſiones, tùm renum maximè attemperare, vrinæque ardorem mitigare confitendum eſt. Hoc Hollerius experimentis comprobat lib. 5. Aphor. Hinc ex diuturna Venere extenuati, & inualidi ad corporis functiones vſu lactis reficiuntur. Hinc ex Gallica ſue emaciati, & qui hydrargiro illiti conualeſcere nequeunt à lacte epoto reparantur. Hinc menſibus Virginum deperditis, atque ijs nimis extenuatis ſalubriter Hollerius lac propinauit. Ex optimo enim nutrimento facilè fit, vt ſanguinis probitas comparetur, & menſes prodeant, ſtatutis, & opportunis temporibus interim ſanguine extracto.

Plinius lib. 28. cap. 9. Lac Podagra affectis conducere ſcripſit. Sunt, inquit, inter exempla, qui Aſininum lac bibendo, liberati ſunt à podagra, & chiragra. Hoc etiam habetur teſtimonio Cornelij Celſi lib. 4. c. 28.

In Hydrope lac Caprillum commendatur. Auicenna vſus eſt Camelarum lacte per ſeptem dies cum

trochiſcis de Aloe,deinde cũ Mezereon,& ita alternis exhibet vſque ad perfectam curationem. Propinetur hac cautela mane, & ieiuno ſtomacho, & lac ſit recēs mulſum, quod ſi per aluum non redditur, ænemate opus eſt. Loco Camelini,Aſininum poteſt eligi, teſtimonio Raſis,& aliorum.

Hippocrates in lib. de Natura mulier. multos fœminarum morbos,ſed præſertim hyſtericos lactis potione curauit:ab epoto tamen medicamento purganti,propinauit illud, vt cura eſſet fœlicior, cognouit enim in lacte quandam vim ſalutarem ad hos morbos curandos ineſſe.

Idem 5. Aphor. 64. Febribus longis, & paruis lac concedit. Per has febres Vega intelligit hecticas in Aphor.nam ſunt longæ, debiles,ſeu paruæ, & eorum corpora extenuantur. Mercurialis intelligit etiam putridas leues, non ſolum hecticas. Et quia apud Hippocr.ponitur illa particula, extenuatis, ſiue conſumptis, intelligit ſeparatim,vt non ſolum hecticis, & diuturnis febribus,ſed etiam extenuatis præter rationem,licet febrem non habeant. In lib. 2. enim Hippocr.de Morbis in Tabe dorſali, dicit ægros eſſe ſine febre,bibere,atque edere,& tamen conſumi, vnde ijs dat lactis potum multis diebus; nam qui laborant atrophia,ſiue maraſmo frigido, & Senio Philippi, hi certè non habent febrem, & tamen conſumuntur. His ergo lac conuenit. Hinc quidam alius in Com. lac prçter rationem extenuatis conuenire, ideſt, qui alia ex cauſa,quam pulmonis vlcere ſunt graciles, & macilenti ſcripſit. At nos per febres diuturnas in-

L 2 telli-

telligimus febrem pituitoſam, aut quartanam, ſi tam diù ęgros detinuerint, vt eorum vires iam collapſæ videantur. His ſaluberrimis eſt lactis vſus, vt corporis calor attemperetur, & virtus à morbi longitudine detrita ſubleuetur.

Inſuper morbi omnes, qui ab atra, & aduſta bile fieri conſueuerunt à lactis potione adiuuantur. Tales ſunt Cancer, Elephantia, & cęteri pertinaces morbi, quorum ſucci acrimonia à lactis qualitate in mitiorem, ſanioremque naturam commutatur. Sit horum omnium teſtis Auicenna in cap. de lepra, vbi quantæ conſiderationis in his affectibus, & conuenientiæ ſit lactis potio, demonſtrat.

Non ſunt relinquendæ vtilitates, quæ in Dyſſentericis, vt inferius loquemur, vlceratis renibus, vlcerationibus veſſicæ, & vteri, dummodo non ſint ſordidæ à lacte epoto deriuantur. Conſule Hippoc. in lib. de affect. in Epidemijs. Dioſcoridem, & Aetium, in quibus prętер ea, quę à verbis Galeni excepimus multa ſunt, quę breuitatis cauſa relinquimus.

Veniamus modò ad incommoda, quę in aliquibus morbis à lacte epoto poſſunt contingere, ita profectò videbimur huius inſtituti metam poſſe conſequi. Interdicitur lac ęgrotis ijs, qui Epatis venas nimis habēt anguſtas, ratio eſt, nam tales alimentorum tranſitum ſatis liberum haud habent, quo fit, vt ex mora pręcordia à lacte ſuccedantur, & iecur obſeruatur. Opprimitur à lacte ventriculus, ſi copia excrementorum redundauerit, & bilioſorum pręſertim, multaque incommoda ſuccedunt, nam horum miſcela facilè lactis

boni-

bonitatem corrumpere poteſt.

Ex decreto Hippocr. 5. Aphor. 64. Interdicitur lac caput dolentibus. Quia autem dolor capitis, vel per eſſentiam, vel per conſenſum fit, eius ſententia non ſempiternę eſt veritatis, nam ſi per conſenſum dolemus, vt puta cum cauſa efficiens eſt in partibus infernis, poteſt aliquod lactis genus nobis conferre, vt Aſininum in intemperie feruida iocinoris, & ſicca cum materia acri, & mordaci, quo caſu ſiue lac, vt purgatorium, ſiue vt attemperans datur, poteſt doloris cauſam mitigare. Secus in dolore capitis per eſſentiam in cerebro, cum enim lac vaporoſum ſit, facilè fit, vt eius difflatus in caput mittatur, & intemperiem quãlibet augeat: quare Hippocratis decretum in dolore capitis per eſſentiam valere tantum confitemur: Confirmauit hoc Galen. 3. de Alim. fac. cum innuit, lac ſumpturum, caput robuſtum, & firmum habere oportere. Qua occaſione animaduertere debemus lac nocere non modò caput dolentibus per eſſentiam, verùm atque in omnibus morbis capitis ſi à cauſa frigida ortum habuerint, & calida etiã, excepto catarrho ex acri deſtillatione, in quo lac competere ex ſententia Auicennę innuimus. Imò non ſolum capiti lac ipſum nocumento eſt, ſed etiam neruis, & habentibus ęgritudines neruorum propriè frigidas, & phlegmaticas, & tamen nerui à cerebro ortum habent. Ob id ex Auicenna lac facit euenire tenebroſitatem viſus, & caliginem: verumtamen cum mulgetur in oculo confert ophtalmię, & oculorum ardoribus, & aſperitati ex calidis materijs.

Sed

Sed an capite dolentibus tantùm interdicatur lac, an dolentibus cum febre, ſcire curioſum eſt. Hippocr. 5. Aphor. 64. & Galen. in com. de hoc verbum non fecerunt. Mercurialis doctiſs. ſeparatim intelligendam eſſe Aphoriſmi particulam aſſeruit, & nocere capite dolentibus, & nocere febricitantibus. Galen. in com. non de vſu lactis in corporibus alioquin ſanis, ſed in ægris potiſſimum Hippocratem loqui innuit; at non inconuenit credere documenta, quæ ægris competũt, competere etiam & ſanis, conſeruationis ſaltem gratia. Si enim ex Gal. interdum inculpatam ſanitatem habentibus dolorem capitis, lac, ex vaporibus eius ſurſum emiſſis facit, quantò magis lædet, vbi iam caput ęgrotat, & dolet.

Interciditur ab Hippocr. in eodem Aphor. lac ijs, quibus ilia ſuſpenſa murmurant, Celſus dixit, quibus præcordiæ tument. Multi exponunt per ilia murmurantia, Hypocondria ſuſpenſa, ſcilicet multum ſublata. Melius Galenus in Com. non modo enim intelligi voluit ea, quæ propter flatus, ſeu humores incluſos attolluntur: ſed etiam, quæ ob tumores præter naturam, veluti inflammatio, eryſipelas, ſcyrrhum sũt ſubleuantur. Cauſam verò cur ſublatis ilijs nocens ſit lactis vſus, Gal. 3. Alim. fac. expreſſit, ſed nec inquit Hypocõdrijs lac vtile, ſi qua leui de cauſa inflari nata ſunt, quandoquidem ventrem flatibus implere conſueuit, vt pauciſſimos inuenias, qui non ita ab eo afficiantur. Hæc ille.

Omnium horum ratio clara eſt, ſicuti enim vbi lac malè coquitur, flatus ingentes ſuſcitare ſolet, quanto

maio-

maiores nobis credendum eſt produci in ijs,qui flatibus oppleti,aut humoribus exiſtunt, aut qui inflammatione,eryſipelate,aut ſcyrro detinentur. Equidem lactis debita coctio his non apparatur, & proinde maius detrimentum conſequitur.

Sed quę per murmurantia Hippoc.intelligat exponamus.Galen.4.Aphor.com.73.murmurantia nominat Hypocondria,in quibus fit ſtrepitus,aut murmur, ſeu alicuius ſonus ſpiritus auditur. Addimus & nos, qui ab ægris,& aſtantibus audiatur.His etenim lac nocet,nam ob indebitam coctionem aceſcit, & in flatus etiam producitur.

At nota curioſum vnum,quod ex Gal.capitur in com. 64.Aphor.5.& eſt multis inteſtina murmurantia habentibus lactis ſerum cum ſale, & melle ipſum dediſſe,vt aluus flueret,atque opem præſtitiſſe. Qua occaſione dubitatio exoritur.Si ſerum aluum mouendo poteſt adiuuare inteſtina murmurantia, cur & lac datum,non etiam id facere poterit? Reſp. diuerſam eſſe lactis,& ſeri rationem: ſerum enim dum aluum mouet totum ipſum exit,& fluit,lac autem,quia prçter ſerum,partes habet caſeoſas,& craſſas,licet aluum moueat,partes tamen eius craſſæ remanent, & in talibus affectis corrumpuntur, & perinde flatus, & humores præter naturam augent. Hinc documentum capiant ſerum ægris propinantes, vt prius ab omni parte caſeoſa depurent,ne illæ in corpore relictę in vermes,& flatus producantur, vt in multis expertus ſum,qui ſerum crudum,vt aiunt, ebibere, credentes ab illo magis attemperari,& aluo fluente magna ver-

mium

mium copia cum deiectionibus viſa eſt.

Conſilio eiuſdem Hippoc. in aſſignato Aphor. lac, febricitantibus obeſſe admonemur. Illud enim ſi in calido ventriculo corrumpitur,& in nidorem abit,iure in febricitantibus interdicitur, eo quod ob nidoroſam corruptelã,febrilem putredinem accreſcit. Equidem facilis eſt eius euaporatio: ob tenuẽ,& aqueam eius ſubſtantiam,facilè bileſcit,quia dulce, facilè corrumpitur,quia varias habet partes. At de quibus febricitantibus loquatur Hippoc.examinandum: in vlcere enim pulmonis,cui ſemper febris admiſta eſt, lac concenditur,ſic & in hectica,ergo non de his, ſed de putrida febrientibus loquitur ,vt meliùs inferiùs patebit.

Siticuloſos lędi ab vſu lactis,& ab Hippoc.& à Celſo proditum eſt. At Celſus per ſiticuloſos intelligit, qui ob febres acutas nimiùm ſitiunt, Galenus verò ſiticuloſos exponit eos eſſe,quibus vel natura, vel aliquo tempore ſitis aduenerit. Credo,eos voluiſſe adducere, qui continua quaſi ſiti infeſtantur. Huius naturę ſunt bilioſi,quia calidi,& ſicci, & ijs infeſtum eſt lac,quia in eorum corporibus bileſcit, & corrumpitur.His etiam dulcia inimica ſunt,vt Hipp.in lib. de Rat.rat.tetigit,& ſitim adducunt, vt melioratum, & vinum,& hac etiam ratione,lac cum dulce ſit, ijs eſt inimicum,ſitim enim auget,& in bilem vertitur.

Interdicit Hippoc.lac in febribus acutis,vbi bilioſę fuerinr deiectiones 5.Aphor.loc.citat.Huius attamen ſententiam multi ſuſpectam tenuere,eo quod in alui bilioſis fluxionibus.& acribus Dyſentericis,& Dyareticis,

ticis,lac multæ fuiſſe vtilitatis multi norunt. Equidem credo Hippoc.eodem conſilio fuiſſe motum in denegando lacte in alui bilioſis deiectionibus, quo aſſeruit in ſiticuloſis,qui quia bilioſi ſunt à lacte lęduntur: hinc in bilioſis fluxionibus alui, nam & conſimile ſuccedit,denegauit, in talibus enim non modò lac corrumpitur, & in nidorem abit, ſed etiam has fluxiones auget,vt in lactentibus pueris obſeruamus, ſiue cum febre,ſiue ſine febre langueſcant. Propterea Hipp. artificioſè dixit tunc lac nocere in bilioſis deiectionibus;cum eis fuerint aſſociatę febres acutæ, quibus lac nocet,tum ratione ſitis magnæ,tum intemperie bilioſa.Hęc videtur fuiſſe Hipp.ſententia.

Sed antequam ad diſcutiendam controuerſiam accedamus,ſoluamus dubitationem,quę ab Hipp. 4. de morbis acut.circa initium percipitur. Laudauit hic in febre ardente lactis potum, nunc autem oppoſitum facit. Equidem Hippoc.laudauit lac in febre ardente,at non in omni,ſed in eo Cauſone, quem ſalſa generat pituita,atque Aſinino cocto vſus eſt ad purgandum,ſicut etiam 2.& 3.de Morbis fecit, & non in ardente ex bilioſo humore.

Neoterici in alui bilioſis deiectionibus, & acribus lac extollunt,tum in potu, tum per ſedem eiectum, moti Gręcorum conſuetudine, nam apud eos in vſu illud fuiſſe legitur Alexander Trallianus in cura Dyſenteriæ lacte vtitur,vt lib.8.cap.6. expreſſit. In primis (inquit) igitur lactis calefacti, & inter coquendũ ſępiùs agitati;cyathos tres exhibemus, & poſt horas duas tantundem rurſus potui damus, quibuſdam etiã

Digitized by Google

tertio offerimus: vt integra hemina abſumatur, & ſi eo die repletus æger videatur, cibo eum abſtinere iubemus; hoc igitur modo bilis ducitur, & humores corrupti modicè purgantur, & mitigantur.

Aetius lib. 9. cap. 45. de eiuſdem curatione ſic loquitur. Primum enim lac depurgat ſimul ea, quæ in corpore ſunt contemperanda, poſtremùm verò aluum ſiſtit. Galenus inſuper, quem omnes ferè auctores inſequuntur, inquit; Tale lac ad acres, & mordaces fluxiones eſt vtillimum, non abluens modò eas a partibus afflictis [*eſt enim id illi cum aqua commune.*] Sed & corpora illinens.

Hucuſque ex adductis in controuerſia facilè comperimus lac in alui fluxionibus, non ſemper fuiſſe denegatum. Sed videamus modum, quo antiqui in exhibendo lacte vſi ſunt, vt deinde ad negotij veritatem venire valeamus. Aetius de hoc argumento ſic loquitur. In principio igitur, poſt tertium diem permittentibus febribus, lacte recens multo adhuc calido vtendum eſt, melle tepido, ei admiſto, atque in eius vſu ad tres dies perſeuerandum, quantum nutriendo corpori ſuffecerit exhibendo, ſequentibus deinde diebus melle adempto, & modica aqua [*quarta nimirum lactis partis menſura*] affuſa paululum decoquimus: ac exhibemus. Deinde poſt alias tres dies ad dimidium decoquimus, & poſt alias tres, ad tertias ſimiliter per tres dies, atque ita eis præbemus. Primum enim lac depurgat: ſimul ea, quæ in corpore ſunt cõtemperando: poſtremum verò aluum ſiſtit. Non ſuo enim, an aliunde grauior moleſtia dyſentericis oboria-

oboriatur,quam ex eorum,quæ egeruntur acredine, contingit. Hæc ille.

Alexander Trallianus ab Aetio videtur diſſentire. In primis igitur,inquit,lactis calefacti, & inter coquẽdum ſæpius agitati cyathos tres exhibemus, & poſt horas duas tantundem potui dantur, quibuſdam etiã tertio offerimus,vt integra hemina abſumatur. Deinde inferius hæc intulit. Poſtea mediam heminam in partes duas diuidimus, & ſimiliter, vt ſupra exhibemus duabus horis interpoſitis;at ſic iterũ tertio duas heminæ partes,aut tres vna vice præbemus.

Porrò Aetius in prima lactis ſorbitione lac non exhibet coctum,ſed crudum admiſto melle. Trallianus verò mellis non meminit: atque coctum prębet: deinde quartam addit aquę partem: ille verò cum febris vrget. Poſtremo Alexander lapillos etiam igne ex quercu feruefactis in vas plenum lacte præparato, vt lac ter,aut quater duntaxat coquatur, non autem ad tertias. At verò arrodet actio, vt lac non ſolum ad tertias concoquatur: ſed etiam ad partis dimidium, & aliquando donec abſumerentur partes duę.

Hæc fuit antiquorum medicorum conſuetudo,quę non ſolum videtur controuerſijs plena, ſed etiam Hippocratis auctoritati oppoſita: dicamus autem quid in hac re ſentiamus. Equidem lactis vſum in bilioſis deiectionibus damnari ab Hippocrate,& malum iudicari diximus,bonum autem à Galen. 3. Alim. fac. Idcirco hæc ſit ſumma. Lac dupliciter poſſe conſiderari,vel in parua,vel in magna quantitate aſſumptum. Inſuper illud vel pręparatum, vel citra pręparationẽ

propinatur. Vltimò vel conceditur in toto morbi curriculo,vel ſolum in parte.

His ſtantibus dicimus malum eſſe, lac in fluxionibus billioſis exhibere,vt dicebat Hippocrates, ſi in exigua ſumitur menſura, quę aluum mouere nequeat. Illud enim cum facilis ſit alterationis, ſi aluum mollem reddere ob paucam quantitatem non poterit, facilè in fluxionibus bilioſis in humores acres,& in nidorem tranſmutabitur, atque multa incommoda pariet. At bonum erit in quantitate exhibere, vt ſubducat ventrem, & expurget humorum copiam. Inſuper malum erit continuò citra pręparationem vti lacte, & in toto morbi proceſſu: nam citra pręparationem vtile eſt primis ſolum tribus diebus pro purgatione, cum autem humorum acrium alterationi vacabimus,& corroborationi,pręparatũ eligimus, quod erit abſumpto ſero per coctionem,aut ignitis lapillis. At ſi febris vrgebit, quartam partem aquę pluuialis addemus: & ſic bonum erit vti lacte non pręparato in primis tribus diebus,pręparato autem poſt primos dies. Sic antiquorum conſuetudo explanatur,& auctorum differentiæ concordantur. Aetij tamen opinio ſuſpecta eſt,cum mel admiſceat bili flauę, & atrę, quamuis multo citius aluum ſubducat. Nec Alexander omnimodò tutus eſt, cum lac adhibeat coctum, dum purgationem molitur, ſi etenim ſerum eſt illud, quod aluum ſubducit, non ne eo abſumpto per coctionem, aluus potius aſtringitur,quam fluere valet?

Sed dubium inſurgit,quo lacte nimirum vterentur antiqui ad fluxiones dyſentericas acres,& erodentes:

multa

multa enim nos attulimus de lactis vſu ex eorum cõſilio, de quo autem nulla mentio facta eſt. Sum huius opinionis, non ſemper vno lacte antiquos vſos eſſe, ſed pluribus. Si enim abluere, & expurgare volebant, caprinum, & crudum elegiſſe coniecturo: ſi glutinare vlcus factum, vel fluentem aluum, ſeu acrimoniam obtundere ouinum: at ſi permiſtę vigebant indicationes, maiorem vel minorem lacti cocturam adhibebant, atq; vt caſus poſcebat vtrumq; lac, plus, aut minus commiſcebant. Si plura deſideras adeas Horatium Augenium lib. 1. Prior. Tom. in Cura Dyſenterię, vbi diſertiſsimè materiam explanat.

At veniamus ad aliam controuerſiam, quæ in conſimili negotio ab auctoribus agitatur. Vult enim Hippoc. lac non conuenire, quibus deiectio ſanguinis multi facta eſt. Hanc particulam Galen. 5. Aphor. com. 64. prętermiſit, ex quo multi dubitarunt, prętter Hippocratis mentem eſſe adiectam; nam & oppoſitum ſentiunt. Eſt tamen aliqua ratio, quę Hippocratis ſententiam cõualidat: illud enim in quibus ſanguinis copioſa fluxio facta fuerit, interdici deberet, corpus enim eorum refrigeratum eſt, & perinde ſtomachus frigidus eſt, & imbecillis, inde ſi lac aſſumerent, propter caloris penuriam haud conquerent, ſed illud aceſceret, & multa ſequerentur incommoda.

Sed his non obſtãtibus, certum eſt in cruentis Dyſenterijs feliciter lac vſurpari, & per clyſteres infuſum, & in potu acceptum: ex quo haud certa videtur Hippocratis ſententia Auctor quidam lib. 3. Cur. morb. cap. 13. lac recens mulctum, aut igne decoctum ad

alui

alui qualeſcunque fluores ſiſtendos plurimum valere ſcripſit. Deprōpſit totum à Galen.3.Alim.fac.Si quis lacti, inquit, prçferuefacto, ſerum omnę conſumat, iam nihil prorſus ſubducet. At iniectis candentibus lapillis,tantiſper dum omne ſerum diſsipętur,adeo aluum hoc modo accuratum non ſubducet, vt contrarium etiam ſit effecturum. Hiſque hoc exbibemus, quibus venter acrium excrementorum morſu infeſtantur. Hæc ille.

At Vega in Aphor.deridet huius ſententiam, & cũ ea,Philothei interpretationem, aſſeritque Hippocratem non denegare lac in deiectionibus ſanguineis, quæ fiunt,ſed in ijs,quę factę ſunt,atque ita debere intelligi Aphoriſmi argumentum: innuit hic in vltimatis ſanguinis fluxionibus,& factis, languidum ineſſe calorem in corporibus,& perinde lac corrumpi.

Sed huius opinio ſine iurgijs haud remanet, nam Mercurialis eius fundamenta minimè acceptat: contenditque lac in facta fluxione potiſſimùm conuenire ad virium inſtaurationem,arguens hac ratione,lac lāguidis, & conſumptis propinari. Proprerea vult, Hippocratem de lactis puri,& non alterati vſu loquutum fuiſſe,mouetur ex hoc,nam & in dyſentericis, & non dyſentericis, lac chalybe, aut ſilice candentibus coctum,& præparatum commendatur;& lac purum in valde refrigeratis,ex copia ſanguinis fluxi. Aliam etiam interpretationem affert doctiſſimus Mercurialis, Hippocratem nimirum loqui potuiſſe, non de quolibet lactis genere,ſed de eo,quod eſt minus ſeroſum, ſeri enim acrimonia, magis poſſet ſanguinis fluxum

irri-

irritare : & re vera in lib.de morb.mul.Hippoc.in quo tractat,inter alia contenta,de vtero exulcerato, maximè cómendat lac caſeoſum, tanquã optimum medicamentum,quod poſſet humores acres, & mordaces linire.

Ego autem huius ſum voti,Hippocratem in Aphor. allegato denegaſſe lac in ſanguinis multi fluxu,vt medicamentum,non autem vt nutrimentum,nam & hoc duplici via ſolet propinari,quare in hoc affectu,vel ſit in fieri,vel in facto eſſe,ſemper optimum eſt ad virium reſtaurationem,& eo maximè ſi ægri fuerint extenuati : citiſſimè enim illud nutrit, & natura ex illo magnoperè vigoratur. Vt medicamentum verò conuenit correptum, vt lenire vlcera, ſedare fluxiones, vel aluum conſtringere valeat : Quod ſi ex naribus ſanguis fluxerit copioſus, ex quo ægri labefactentur, & relaſſentur, nulli dubium eſt, ad vires recuperandas lactis vſum commendari.

Sed dubium mouetur, & eſt Roderici à Fonſeca in Com. De quo lacte Hippocrates loquatur in Aphor. Reſp.Hippoc.loqui de lacte in communi; muliebri nimirum,aſinino,equino,caprino, ouillo, bubulo, &c. Cum enim lac negat Hippoc.in quibuſdam paſſionibus,annuit hic,de puro lacte intelligere, quod ſi exhibet,ad alendum propinare. Vt medicamentum verò conuenire diuerſimodè,in 4.acutor.lib.in febre ardẽte ad purgandum lac Aſininum dat Hippoc. Ad temperandum,& purgandum in Dyſenteria,quibus bilioſæ ſunt deiectiones eodem vtitur in duobus diebus ad duodecim librarum quantitatem : prius tamen igni-

tos

tos lapides inijcit ad ſerum conſumendum: & in languidis, & extenuatis, dummodo febrem validam non habeant. lac prębet, vt alimentum, & quandoque vt medicamentum. Imò cum maiori nutritione indigere ęgri videntur; vinum lacti miſcet Hippo. vt in Dyſenterico in Epidem. fecit, erat autem lac Bubulum.

Pręter affectus, quos adduximus, multi ſunt, in quibus lactis vſus noxius eſt: Nocet in obſtructionibus, vt in Hippocrate lib. 3. Epidem. in Hiſtoria Apollonij Abderis videre poſſumus. Ille obſtructionem in hepate patiebatur, & ictericus fiebat, at lactis vſu, cocti, & crudi, magnæ lęſiones factæ ſunt: Nocet lac ęgrotis ijs, qui venas hepatis habent nimis anguſtas, & qui ventriculum habent excrementis repletum, vt ſuperius demonſtrauimus. Cęterę autem paſſiones, quæ ab vſu lactis intendi poſſent facilè ex adductis eluceſcunt.

Aggrediamur modò alias lactis conſiderationes, quę, vt ſpero, lectoribus non erunt iniucundæ. Equidem ex illo, tum multa laticinia dicta, tum fercula, & embammata parantur, & in menſis pro delectu, prout ſunt varię nationes, & populi, ita varij ſunt, & innumeri eius apparatus.

Hinc caſeus, lac preſſum, lac coagulatum, Recocta, Oxigala, ſerum, & Butyrum apud homines in vſu ſunt. Hinc ſpuma lactis, flos lactis, caput lactis, mel lactis, comparantur. Hinc diuerſa edulia ex illa dulciſſima ſubſtantia ab Epularijs, & à villicis ex farina, milio, ſimilagine, amylo, &c. componuntur adeo, quod maximam hominibus pręſtare commoditatem, & delectum

ctum lac (Dei benignitate) cognoſcimus. Referã quæ magis vſitata videntur.

Caſeus ſi fuerit recens, emollit, impinguat, palato arridet, neque obeſt ventriculo modicè ſumptus; At crebrior vſus obſtruit, prçſertim ſi ventriculus fuerit debilis: Comedendus eſt cum nucibus, amygdalis, pyris, & pomis. Ita euitantur eius incommoda. Conuenit iuuenibus, & laborioſis, potius, quam ſenibus, nam difficilè coquitur. At ſalitus, & vetus mali eſt ſucci, ſitim inducit, ſanguinem inflammat, calculum generat, iecur obſtruit, bilem gignit, & alia incommoda apportat. Ob id dicitur,

Caſeus eſt ſanus, quem dat auara manus.

Lac preſſum, quod nos Itali la Giuncata, nominamus, è lacte à butyro nec dum ſegregato fit. His ſubuenit, qui ſiti, ardoreque ſtomachi tentantur, & qui robuſto ſunt ventriculo. Hoc pectus ſtringit, aſthma facit, & caput exhalationibus tentat, craſſum dat nutrimentum, calculum generat, & lyenteriam non paucis. Propterea tantum iuuenibus conuenit. Edatur prima menſa multo ſaccharo conditum.

Lac congelatum, & ſciſſile, laborioſis hominibus, & robuſtis ventriculo ſolum vtilia, quia vehementer refrigerant, & difficilè concoquuntur.

Recocta laudatur ſi recens fuerit, & penè calida edatur. Vtile alimentum ijs eſſe cenſetur, qui calidi fuerint temperamento, & à bilioſis deſtillationibus infeſtantur, ſitim reſtringit, bilem affrenat, & ſomnum inducit. Hinc iuuenibus, & bilioſis conuenit. Laudatur, & primum locum habet, quę dicitur, la Fiori-

N ta.

ta.Nocet ventriculo frigido,& neruos debilitat. Edatur cum ſaccharo in vltima menſa,& parcè. At ſalita peior eſt, parum dat alimenti, ſitim gignit, aluum cohibet,flatus,& calculum facit, & viſceres obſtruit, atque difficulter coquitur.

Oxigala fit dum butyrum conficitur addita aqua, vt aceſcat,quod eſt maximè coactum,in ſummo fluitat,id exemptum addito ſale,Oxigala dicitur. Item fit ex acido lacte. Calidiſſimis ventriculis proficua, nuſquam in nidorem abiens. Eſt tamen frigida, craſſi ſucci,difficilis coctionis, frigidis ventriculis aduerſa, atque lapidi gignendo in renibus apta.

De Butyro,& Sero Opuſcula propria confecimus, quare ad illa lectores mandamus.

Spuma lactis,vt Gal. refert lib.de cib. boni & mali ſucci agitatione lactis perpetua extrahitur, vt butyrum: cæterum hęc paulatim eximitur, butyrum donec concreſcat,agitatur. Eſt quidem ſpuma, butyri materia,pinguis,lenta,leuis admodum coctionis, ſuauiſſima,boni aliměti,ſed pauci,ac minimè ſolidi: quod ante cibum cum ſaccharo,& pane gratiſſimus eſt cibus in prima menſa ſumptus: quippè neque obſtruit, nec lapides generat,neque ita facilè corrumpitur; quod ocyſſimè coquatur.Mercatus lib. 2. de ſanit.conſer.

Quæ dicuntur caput,ſeu flos, aut mel lactis, quorum apparatus,& vſus apud Inſubres vulgaris eſt, in Auguſtino Gallo in lib.de re agraria leguntur. Neapoli optimum conficitur, vbi ſuper caulium folijs lac cogitur: Nactas indigenæ vocant.Hoc eſt pectoris affectibus cōueniens,palato arridet,ſtomachiq; aſperi-

tati,

tati,& ſiccitati medetur: tardè tamen concoquitur, & cæteris cibis ſupernatat:propterea parcus eius vſus eſſe debet,& cum ſaccharo,vel melle capi debet, idq; ſumpta refectione. Hoc iuuenibus,& bilioſis potius, quam ſenibus,& catarrhoſis conuenit;Ventriculum enim robuſtum requirit.

At huiuſmodi lacticinia antiquitùs etiam parabantur,vt videre eſt in Galen.3.Alim.fac.cap.16. Præterea,inquit,ſine coagulo id lac, quod poſt editum fœtum emulſum fuerit, protinus concreſcit, ſi ſuper cineres calidos parumper calefiat: videnturque veteres Comici lac ita coactum,Pyriaſten appellaſſe. In Aſia autem apud nos Pyriephthum ipſum nominant. Id quidem lac omnino ab alia ſubſtantia eſt purum: cum autem melle ipſi admiſto per coagulum cogunt, hoc quidem opere,quod in eo eſt tenue, & aquoſum ſeparatur. Quidam autem ex ipſo duntaxat, quod coactum eſt mandunt: quod partim ex caſeoſa lactis ſubſtantia, partim ex calida, atque ignea coaguli facultate, partim ex melle ipſis admiſto. eſt compoſitũ. Alij verò vnà cum eo,quod concreuit,ſerum quoque tranſglutiunt, idque aut pariter totum cum toto, aut alterum altero copioſius: accidetque vt alijs quidem largius,alijs verò minus aluus ſubducatur pro portione quantitatis feroſi humoris. Hæc ille. At.10. Simplic.med.fac.meminit aliam lactis ſpeciem, Schiſton, quaſi diuiſum;caſeo namque confecto,ſerum ad tertias decoquitur,quo refrigerato, lac Schiſton, à ſero craſſius ſecernitur,& magis nutriens. Conſtat & ex lacte, quod Hilace vocatur.

Sed curioſum occurrit axioma, Quo tempore lac & lacticinia omnia ingeri debeant. Caſeus in vltima menſa locum habet. Cętera autem ſic metiuntur. In biliofis hominibus, & ventriculis poſt cibum, aut parum ante poſtremum ingerantur. In alijs verò mox à principio. At Butyrum plerunque à principio eſt ingerendum. In calidis naturis ſi aqua ſuperbibatur, proſunt magis omnia lacticinia, excepto lacte coagulato, aut oxigala, quo præſidio, & in prima, & vltima menſa tutiùs ingeritur, cum contrarium non fuerit expertus homo: cum enim differat corpus à corpore, dubium non eſt poſſe aliquando contrarium accidere.

Ex lacte multa edulia parantur; nec ſolùm hac noſtra ætate, ſed etiam antiquitus in vſu erant. Legitur in Galen. 1. de Aliment. fac. ex lacte, & farina fercula fieri. Et in lib. de Bonit. & vitioſ. ſucc. lac miſceri cũ milio, & ſimilagine, atque amylo, nec non, & ex lacte, & caſeo fieri placentam. In partibus noſtris, & in Valle Beneuentana in lacte coquunt paſtillos, & in diuitum menſis ferculum illud apparatur ex lacte amylo, vel oryxa, quod Bianco magnare, appellant.

Fit etiam aliud ferculum ex Spuma lactis, & butyro, quæ Aphrogala ex Græcis dicitur. Hoc dulcius multo, & candidius butyro eſt, ac longè melius alens ipſo butyro: optimũ præbet alimentũ, iecori vtile, & ventriculo, ita vt raro lędat copia, niſi exorbitans fuerit: ſed purum generat ſanguinem in benè valentibus: Ex Mercato lib. 2. de ſanit. tuend.

Lac præterea coquitur cum zaccharo, melle, vitel-

lis

lis ouorum & mentha addita farina, quod gratiſsimũ efficitur,ſed corruptioni aptum. Lac autem cum recraſſi nutrimenti decoctum craſſum præſtat ſuccum, ſplenis,& iecoris meatus abſtruit, & calculos in renibus gignit,non adeo tamen inflat, lactis enim facultas augetur,diminuiturque iuxtà admiſti vires.

Sed accedamus ad aliquas animaduerſiones,& cautelas,quæ in lactis exhibitione vtiles iudicantur.

1. Lactis vſus diuturnus auget ſplenis, & hepatis craſſitiem,& in renibus lapillos creat: Dentes facilè corruptioni pręparat, & corroſioni, pręſertim vt voluit Auic. ſi dentes frigidioris extiterint temperamenti. Gingiuas etiam laxiores reddit; propterea expedit ipſo pręaſſumpto,dentes,& gingiuas abluere ex aqua, & melle,aut vino,& melle, vt voluit Galen. 3. Alim. cap. 14.

2. Lac cum ad nutricatum pręſcribitur, ea detur cautela,ne copioſius ingeratur,quam vti ſolebat tempore ſanitatis;ſecundò ne difficultatem reſpirandi afferat: tertiò ne ab eius vſu pulſus frequentior, aut lotium inflammatius reddatur. Ad alterationem autem, vt partes tabeſcentes madeſcant: muliebre, vel aſininum,aut caprillũ commendatur,ab vncijs quinq; ad ſeptem epotum,addito modico zacchari, vel ſalis, aut mellis, vt putredo arceatur, & à coagulo prohibeatur.

3. Lac ne coaguletur in ſtomaco, cum melle, & ſale exhibetur Galeni conſil. 10. Method. med. Attamen in calidis,& ſiccis affectibus,zaccharo,vel aqua admiſtum propinamus, ita incõmoda eius euitamus;

ſal

ſal enim additur, vt aluus citiùs fluat, & in talibus remouetur, ne maiorem faciat caliditatem, vel ſiccitatem pariat. At ſi lac fuerit concretum in ventriculo, & periculum ſuffocationis induxerit, leporis coagulo eſt vtendum. Vide Galen. in lib. de Remed. par. fac. & lib. 11. Simplic. med. fac.

4. Mel, quod in lacte miſcetur, debet eſſe antea coctum, & ſpuma detracta, hoc enim lac aceſcere in ventre prohibet. Imò ſic minus inflat, minusq; hęret in præcordijs, nam ad tranſitum ſtimulat, & aluum mouet. Eius quantitas tanta ſit, vt dulce ſentiatur lac, ſed adeo, vt ventrem non euertat, & ſit iocũdum, quamuis pro affectus natura variare contingat: ſi ſumus enim in ægris ſicco, & frigido affectu laborantibus, plus adijcimus, ſed in calido prohibemus. At praxis hodierna, vt plurimum loco mellis zaccharo vtitur, & ſi lac è papilla exugitur, fruſtrum eius in ore detineri iubemus, & vnà exugi.

5. Sicut lac crudum ratione ſeri aptum eſt, aluum citare, ita lac coctũ, & ſero cõſumpto ſua craſſitie ventrem cohibet, & craſſi ſit ſucci, hinc lac elixũ cum aliquo craſſi ſucci flatum amittit, ſed iecur magis obſtruit, promptiuſque calculos in renibus gignit.

6. Quia lac mulctum aliquid natiuæ boniratis amittit: ideo ſtatim hauriendum eſt, at ſi fieri nequit in locis frigidis eſt ſeruandum. At Galenus vbique iubet, vt calidum ab vbere ſumatur, quod cum tepidũ calorem habeat, facilè ab aere alteratur: ideo niſi ſugatur ab vbere, vt in mulieribus ſit, inducatur in domũ animal, & mulgeatur.

7. Non

7. Non eſt lac capiendum, niſi corpus ſit temperatum,& ſtomachus exinanitus bilioſis, & pituitoſis humoribus. Si enim fuerit mundus, & lac benè digeſtum,multum dabit alimentum, & laudabilem gignet ſanguinem, corpus enim laudabiliter humectatur. Sit ergo recens mulctum,ſumatur mane, aluo libera ab omni cibo,deinde quieſcat,aut leniter ambulet,& labor,& motus nimius caueatur.

8. Occaſio, vel tempus vtendi eſt, ſi æger balneo vti cogitur à balneo,lac recipiat: Sin minus à ſomno poſt leues frictiones, mollibus linteis factas, dummodo coctiones ſint peractæ.Sumpto lacte non dormiat, ne corrumpatur,aut fiat euaporatio ad caput.

9. In lactis exhibitione ſemper profecerit à pauca incipere quantitate, donec ad iuſtam menſuram accedamus: præſertim ſi ægri natura haud cognita fuerit. Nec menſura lactis adamuſſim deſcribi poteſt, cum ſępè in ægris varia concurrant, ætas, nimirum, & cibandi neceſſitas. Sit tamen hęc coniectura, vt in pueris, duę, vel tres vncię exhibeantur. Adultioribus quatuor: prouectioribus quinque vel ſex; Sumendum eſt autem lac ſolùm quantitate, quæ facilè toleretur: imò nec omnibus conuenit, ſed ijs tantum, quibus experientia vtile eſſe probatur. Qui autem lactis potu aſſueti ſunt,quantum erit animo aſſumere poterunt.

10. A lacte ſumpto ad cibaria ſolida, tempus æquatę coctionis eſt expectandum; prandium ſit leue, poſt illius potum horis quinque: conſideranda tamen eſt lactis menſura,& ex potu,& ſtomachi leuitate tem-

tempus cibationis compenſatur.

11. Non eſt comedendum lac cum piſcibus, plurimos enim cauſant affectus. At Galli, & Germani hoc floccifaciunt, non ſine tamen eorum pœna, cum plerique Elephantiaſi, Mauritanorum lepra corripiantur, vt apud Belgas Amatus Luſi, (quam expurgatum legi) experimento didicit.lib.2. Dioſcor. in cap.de lacte.

Finis Opuſculi Primi.

IVLII CAESARIS BARICELLI à Sancto Marco,

Ciuis Beneuentani, Medici Phyſici,

DE SERI FACVLTATIBVS, ET VSV.

OPVSCVLVM II.

Proponitur Seri definitio. *Cap. I.*

QVemadmodum diuerſę ſunt humorum corporis naturæ, ita & diuerſa apud Medicos Seri genera ſunt contemplata: vt Galen. 2. de Natur. fac. dixit. Ob id dicimus ſerum ſanguinis, pituitæ, bilis, & atræ, ſicuti & nos in lib. noſtro de Hydronoſa natura abundè tetigimus. At de his in præſentia nec loqui, nec verba facere intendimus, cum noſtrum ſit inſtitutum de Sero lactis diſcutere, eiuſque vires, & vſum examinare.

Hoc depinxit Galen. lib. 1. de Natur. fac. cap. 15.

Digitized by Google

per hæc verba. Iam, inquit, conglaciati lactis exemplum id, quod paro dicere, clarè indicat. Quippe id totum cum eſt in qualos coniectum, non totum percolatur; ſed quantum eius eſt: quam amplitudo meatuum quali tenuius id pronum transfluit, ac ſerum vocatur. Clarius tamen 10. de Simpl. med. fac. vbi Serum corpus humidum, ſiue humiditatem vocat; Nec ſine cauſa: Etenim, vt in primò Opuſculo probauimus, lac omne ex tribus conſtat ſubſtantijs, caſeoſa nimirum pingui, & ſeroſa, cuius portio, & eſſentia humida, & aquea dicta ex conſimilitudine, ſerum vocatur: proinde Meſues, & Auicenna aquam lactis, & aquoſitatem vocarunt, quaſi id ſit dicere eſſe ſerum lactis, quod eius aquoſitatem, & Gal. 4. Simplic. med. fac. 17. Serum vocauit, partem aqueam lactis. At in hoc non eſt, quod amplius immoremur.

An autem Serum iſtud à lacte, ope caloris, vel frigoris extrahatur multi dubitarunt: quia autem oculatiſſimi viri à rebus diuerſis facultatibus munitis opificium hoc fieri conſpexerunt, ab vtraque cauſa ſerum comparari in medium adduxere: calore ſeroſum humorem exugente, frigore terrenum condenſante, atq; ab aqueis partibus ſegregante. Conſimili facultate cynaram, & Cnicum coagulare conſpiciunt: nec non & Myrabulanos ad lac coagulandum experimento comprobatos eſſe inuentos idoneos. Hoc teſtatur Auenzoar lib. 1. tract. 15. At mirum eſt, quod à Cteſia ſcribitur: radicem quandam apud Indos inueniri, quę ita aquam, vel vinum condenſet, vt manu veluti cera teneri, ac tractari queant: Poteſt hęc Aquifoliæ arbo-

ris

ris floribus aſſimilari, qui aquam poſſe glaciare à multis creduntur.

At apud paſtores noſtros in vſu eſt Serum à lacte ſegregare coagulo: illud enim diſſipata cogit, & coacta diſſoluit Dioſcoridis teſtimonio. De hoc legito per otium (ſi habes expurgatum) Amatum Luſitanum centur. 6. Cur. 56. cum ſcholijs, nec non & 2. Dioſcord. Com. in cap. de Coagulo.

Ex Aetio ſermone ſecundo cap. 96. ſic ſerum pręparatur. Lac in ollam funditur, coquiturque igne concitatiore, & aſſiduè, ac æqualiter mouetur, & vbi efferbuerit à motu ceſſatur, & vbi adhuc amplius efferbuerit, aqua frigida in promptu ſit, in profundiore quodam vaſculo ſita, in quam olla, qua lac coquitur immittitur: ſtatim enim ſedatur. Sedato autem feruore rurſus coquitur, & vbi efferueſcit, acetum mulſum, aut aqua mulſa, bis, aut ter irroratur, quo facto caſeus ſtatim à ſero diſparatur: Serum itaque mox per panniculum excolatur.

At noſtrates impoſito lacte in vaſculo æneo, vel ligneo, modicèque calefacto, coagulum ſuillum cum aceto commiſtum, vel ouillum, aut caprillum aqua dilutum iuxtà lactis menſuram imponunt, ſpatulaque lignea commiſcent, vt lactis omnes particulas penetrare valeant: mox lac coagulatur, & à ſero diuiditur. Inde caſeoſam partem eligunt, & in formulas redigunt. At ſerum iterum decoquunt, & ſubtracto caſeo ſecundario, quam recoctam appellant, ſerum excolãt, & illud eſt, quod apud Medicos in vſu eſt. Hinc primum ſerum crudum appellant, ſecundum verò co-

ctum, & caninum, cum canibus ouilis in eſcam mittant.

Vtuntur paſtores non omni coagulo indiſcriminatim, cum & illa varios cauſent effectus, dum caſeū redigunt. Suillum enim caſeum reddit dulcem, & ſtomaco, & palato arridentem, at caprillum, vel ouillum acrem, & mordacem; idcirco prout varius eſt hominum appetitus, ita varia eſt paſtorum in coagulis eligendis promptitudo.

Commendatur in hoc Regno Neapolis caſeus Cercellinus, qui & idem eſt, qui in hac noſtra Valle Beneuentana, tum ob paſcua, tum ob coagula comparatur. Creuit eius fama tempore Alphonſi de Aragonia primi huius nominis Neapoli Regis, qui Cercellinis multas cōceſſit exemptiones, vt caſeum Neapolim afferrent, domumque Regiam prouiderent. Hodie huius loci dominus eſt Excellentiſſimus Nicolaus Maria de Summa, Collis Princeps, meique dominus amantiſſimus.

De ſeri temperamento. Cap. 2.

VEniamus modò ad ſeri temperamentum elucidandum, eiuſque qualitates examinandas: nam & ijs multi medici in diſcutiendis deſudarunt. Magna etenim apud aliquot eſt diſcordia, num calidum, & ſiccum, an frigidum, & humidum ſit. Propterea omnium partes adducemus, vt in tanta controuerſia veritatem ve-

nari

nari valeamus. Magni profectò eſt momenti,in re-
tam ſeria,clarè negotium examinare,cum ſerum, in-
oribus Medicorum continuò ſit in praxi. Afferam
primò ſcriptorum aſſerentium eſſe calidum, & ſiccum
auctoritates. Secundò illorum,qui frigidum, & hu-
midum eſſe contendunt. Vltimò opinionem noſtram
experimentis,& rationibus fulciram.

Primò ſe nobis offert Dioſcorides auctor prima-
rius,qui ſecundo lib. Simpl. Serum abſterſiuum, & di-
geſtiuum eſſe,atque è corpore humores educere pro-
palauit.Hoc autem caliditatis eſt indicium.

Galenus 10. Simplic. med. fac. Serum extergendi
potentiam poſſidere docuit, adhiberique ſubducendi
ventris gratia, atque reponi inter medicamenta di-
geſtiua,propterea medicos vti ad ſuggillata,& hypo-
phagmata. Hoc idem confirmat 3.Alim.fac. illudq;
naturam acrem habere aſſeruit. Vetereſque ad aluum
exonerandam crebra ſeri potione vſos eſſe. Imò tra-
ctans de Lacte,cauſamque aſſignans cur ſoluat? Dixit
propter multum ſerum,quod habet admiſtum: Sepa-
rato enim ſerò non amplius humores educit: nam ſe-
rum eſt illud,quod ſoluit, & ſuccorum craſſitiem ex-
tenuat. Inſuper in fine tractatus de acido lacte,dixit.
Tanto magis lac ſubducere, quantò plus habebit ſeri.
3.etiam Medic.facul.14 ſerum ſoluere dixit. Hinc le-
gimus Hippocratem 4.de Rat.Vict.in acutis.cap.7.ad
Cauſum ſero vſum fuiſſe.Valleſius in hoc loco.Expur-
gatione,inquit,in ſigni Hippocratem non vſum reſpe-
ctu febris periculoſæ: ſed ſolum ſero,quod euacuandi
clementes vires poſſideat.At hæc omnia à Gal.addu-

cta

ςta caliditatis ſunt opera, & experientia docet ſerum lactis, præſertim caprini extenuare humores, obſtructiones aperire, ſoluere, & abſtergere, atque multos eius vſu à morbis nonnullis liberare.

Meſues in lib. de Simplic. Aquam lactis calidæ, & ſiccæ complexionis in primo gradu, vſque ad ſecundū exiſtere dixit: Illamque lauatiuam, ſubtiliatiuam, & aperitiuam eſſe confirmauit. Hoc etiam tenet Iſaac lib. 1. de Diœtis vniuerſal. cap. 57.

Auicenna lib. 2. cap. 441. Tractans de lacte, eius aquoſitatem calidi eſſe temperamenti teſtatur, narratque omnes proprietates à Meſue allatas. Huius etiam opinionis eſt Serapion lib. de Simpl. nec non, & Aetius ſerm. 2. cap. 96. Dum omnes proprietates, quæ ad calidam pertinent naturam adducit. Inſuper reliqui Mauritani, & Damaſceni medici, ſerum lactis calidum eſſe pronunciant, vt tetigit Amatus Luſitan. 2. Dioſcor. 64.

Inter recentiores Petrus Matthiolus 2. Dioſcorid. Serum eſſe calidum, acre, digeſtiuum, & ſolutiuum profitetur. Huius opinionis eſt Laurentius Ioubertus in Dec. 1. Paradox. 6. Hic ex profeſſo tenet ſerum lactis, præſertim caprilli calidum eſſe, nec aliter refrigerare, vt nonnulli dixerunt ex proprio temperamento, ſed ex ſolutione acrium, & ſalſorum humorum per aluum, qua via ſanguinem mundiorem reddi, & corpus refrigerari ex accidenti conijcitur: nec ſine ratione, nam ſolutis talibus humoribus, & eductis ab epate, & venis mirum haud eſt, refrigerationem ſubſequi, corpuſque temperari. Hanc opinionem ſubſtinere po-

teſt,

teſt, quotidianum medicorum experimentum, dum purgantia medicamenta,& calidiſſima quæque pharmaca propinant,quæ bilem,humoreſq; calidos è corpore extrudunt. Ea propter Rhabarbarum, aloem, & ſcammoneam,aliaque æſtuantia medicamenta ſolutiua,refrigerare aſſerimus, quòd biliòſo, atq; adeò caleſcenti corpori propinata, vehementis caloris occaſione ſemota,refrigerium inducant.

Hanc opinionem videtur Ioubertus ab Auicenna mutuaſſe lib. 2. c. 441. Aqua caſei,inquit, impinguat habentes complexiones calidas,& ſiccas [*cum ſoluuntur potu eius,propter ſuam cauſam*] & non impinguat eos,niſi propterea,quòd humectat, & extrahit humorem malum,quare rectificat nutrimentum.

Hucuſque ſcriptorum auctoritates aſſerentium ſerum eſſe calidum adductæ ſunt, reſtat eas aliquo medio comprobare. Vrinam eſſe calidam nemo negat, & tamen illa ſanguinis eſt aquoſitas. Hoc præmiſſo,arguatur ſic. Eadem eſt proportio vrinæ in ſanguine, quæ eſt ſeri in lacte,ideo eandem retinet qualitatem, probatur: Etenim aquoſitas à natura in hunc finem generatur, vt ſãguis per corporis venas introducatur. Hoc enim peracto retrocedit aquoſitas, & ad vrinæ meatus pertranſit, vt excernatur; quia in aliud officiũ non admittitur, nam & illa nutricatum non poteſt afferre. A pari. In lacte,quod dicitur ſerum: aquoſitas hæc quidem eſt, & ad eundem finem in lacte à natura producta, nam lac, ſanguis dealbatus eſt, & cum hæc per vrinarias vias immittitur, vrina vocatur. Cum autem vrina ſit calida, & ipſum ſerum

ſan-

ſanguinis ſit aquoſitas, calidum eſſe oportere nemo negabit.

Huic argumento multi reſiſterent, dicentes, vrinā in renibus caliditatem acquirere, per quos ſerum non pertranſit; quoniam in ipſis mammis vnà cum lacte moratur. Inſuper adducent ſanguinem, dum in mammas ducitur, vt in lac mutetur, refrigerari, nam & mā marum caro frigida eſt. Sed his non obſtantibus, poterimus reſpondere, eandem caliditatem, vrinam recipere à renibus, quam ſerum in mammis, ratio eſt, nā opus conuerſionis ſanguinis in lac, media coctione fit, & per caliditatem mutatur, & non frigidi officio, vt in Opuſculo de lacte ſuſtentauimus, & vt Ioubertus ſuſtinet in ſuis quæſtionibus. Addamus & hoc pro coronide in diſſectionibus, atque ſanguinis emiſſionibus à venis, aquoſitatem, quæ à ſanguine ſeparatur, colore, ſapore, odore, vrinæ ſubſtantiam emulari, & tamen ad renes adhuc non tranſiuit. Idcirco ſtatuendum eſſet hiſce auctoritatibus, & rationibus ſerum eſſe calidum.

Opinio aſſerentium eſſe frigidum, & humidum.

VEniamus autem ad illorum opinionem, qui ſerum frigidum, & humidum eſſe contendunt. Inter hos Braſauola 3. Aphor. ſuper illis Galen. verbis. [*Hac autem lactis pars ſeroſa dicta vim habet abſtergēdi*] pulchram facit quæſtionem. Hunc ſequitur Amatus Luſitanus, 2.

Dio-

Dioſcor. Enarr. 64. Mouentur iſti viri ſapientiſſimi, annuentes, ſerum eſſe frigidum, & humidum, ex verbis Galen. 4. Simplic. med. fac. cap. 17. Vbi dum diſſerit. Qua de cauſa mel ob caliditatem validiorem, amaritudinem contrahat: lac verò dulcius efficiatur? In illo cap. lac ex tribus ſubſtantijs eſſe compoſitum dixit, caſeo nimirum, butyro, & ſero. Poſtea addit. At excrementum illud ſeroſum & frigidum, & humidum eſt. Sic & in 3. & 7. Methodi Medid. videtur etiam frigiditatem Galenus ſero attribuiſſe, forſitan immemor, quod alijs in locis dixerat, ſerum habere acrimoniam, eſſe abſterſiuum, digeſtiuum, ſolutiuum, &c. Quæ operationes arguebant calidam qualitatem, & non frigidam.

Manardus cum vidiſſet magnas controuerſias inter ſcriptores de ſeri qualitate, & cum plurimum, vt credo huic negotio incumbuiſſet, lib. 16. Epiſtol. 5. videtur admodum acutè de re hac diſputaſſe, quia autem eius auctoritas maxime præualet apud recentiores auctores, placuit in medium afferre, quæ à tanto viro adducta ſunt. Cum enim, inquit, ex tribus partibus lac componatur, atque ex his butyrum quidem temperatum, caſeoſa pars à temperamento parum ad frigoris latus deuergat: ſi ſerum calidum eſſet, vniuerſa lactis ſubſtantia calida potius, quam frigida redderetur, cuius contrarium, & tota ſentit medicinæ ſchola, & cõmunis idiotarum opinio ab ipſo vſu edocta. Hoc etiam exigua eius dulcedo oſtendit, quam adeo habet imbecillem, vt acidum potius, quam amarum, ex mora fiat: contra quam mel, quod dulciſſimũ

quam ſit, facilè, & per ſe temporis diuturnitate amareſcit potius, quàm aceſcit.

Rurſus ſi ſerum calidum eſſet, quo ſeroſius lac eſſet, eo eſſet calidius, cùm tamen Aſininum, quod maximè ſeroſum eſt, multum ſit frigidum, alioqui præ cæteris in hectica febre non eligeretur: frigidum itaque ſimpliciter ſerum eſſe puto, ſicuti & lac, atque alia non parum multa, quę ex varijs conſtant partibus, quæ iuxtà qualitates cęteris præualentem frigida dicuntur, non quod caliditatis penitus ſint expertia, ſed quod eam prę frigiditate habeant præexiguam. A qua tamen ſi pauxilla admodum in ſero ſit, & latitās quædam acredo, & attenuandi, detergendi, ac ventrem ſubducendi vis oritur. Quas vires quoniam lactis tota ſubſtantia à ſeroſis potiſſimum partibus nanciſcitur, minimè mirandum eſt, ſi illis deperditis ſimul, & vires illæ à lacte in totum ſubmouentur.

Quare lac cum ſerum ademptum eſt, ventrem potius abſtinet, quàm ſubducit, & in quantum vis calido ventriculo ad nidorem non amplius conuertitur, reſolutis ſcilicet non ſolum ſeroſis partibus, in quibus calor aliquis ſupra temperamentum inueniebatur, ſed & pinguibus, quæ temperatam, vt diximus habent caliditatem, non autem tantam, vt quemadmodum tu putare videris butyrum reddant abſolutè calidum, facilis quippè inflammatio, ita in hoc ſicut in oleo modum ſubſtantiæ potius, quam caloris copiam demonſtrat.

Ex tepido etiam, modicoque eius calore fit, vt in mollibus corporibus inflammationes concoquat, & quan-

quandoque diſcutiat. Quoad ſerum licet partes aliquas, vt inquit Dioſcorides, habeat calidiores, facere idcirco nequit, quin hæ ab aqueis, ceù amplioribus obtundãtur, ob hocque fit, vt abſque acredine purget. Hæc ille. Huius opinionis etiam eſt Alexander Maſſaria lib. 3. Praxis med. cap. 10.

Hæc Manardi opinio, eo quod admodum viſa fuit probabilis. à multis fuit accepta, quia tamen ſerum fere abſolutè frigidum, & humidum declarat; Horatius Augenius, vt quodammodo controuerſias dirimeret, lib. 7. Epiſtol. 1. decreuit ſerum habere caliditatem, ſed non tantam, vt à frigidioribus partibus non ſuperetur: idcirco in dominio frigidum, & ſub dominio calidum eſſe perhibuit. Taceo Petrum Appon. Conciliatorem, qui ſcripſit ſerum dici calidum, & ſiccum comparatiuè ad lac acetoſum, quod eſt oppoſitum Galeni ſcriptis in cap. alleg. quibus opinionibus adductis, nodus ambiguus videtur, & ferè ineſtricabilis, eo magis, quia hanc Neotericorum opinionem ratione quadam philoſophica comprobare poterimus ex Ariſt. 4. Metheor. vbi docet ſolum ea, quæ frigida ſunt liquida coagulari per frigus, & dum enumerat, quæ per frigus coagulantur, ait, vt ſunt quędam vina, acetum, lixiuiũ, & ſerum, qua via, & medio ſerum frigidum, & aqueum eſſet iſtorum, & Ariſtotelis poſitione.

Inſuper experientia videtur docere, ſerum eſſe frigidum; vulgus enim in Maij menſe, vt bilis calorem temperet, & puſtulis circa corpus erumpentibus pruriginoſis, & ſalſis ſuccurrat, ſerum in copia, & potiſſimum Caprillum, aut Aſininum propinat, intentumq;

conſequitur,nam vt cognouit, lac illud eſſe frigidius, in quo plus ſeri fuerit inuentum, vt de Aſinino Galenus perhibet.

Nec ratio commoueat illa [*dicunt iſti*] vt ſerum perinde calidum dicatur, quoniam abſtergat, nam & aqua hordei abſtergendi vim obtinet, nec tamen calida, ſed frigida eſt: Quod autem ſerum ſoluat [*adiungunt*] ob modicam illam acredinem, & caliditatem, quam habet id facere, partes tamen eius aquę, quę refrigerant maiores ſunt. Hæc ſunt fundamenta ſcriptorum aſſerentium ſerum eſſe frigidum, & humidum.

Opinio noſtra ratione, & experimento confirmata.

SEd accedamus ad opinionem noſtram, videamusque vtra horum opinio ſit validior, vt in tanto diſcrimine meta, & concluſio apponatur. Equidem ſerum eſſe calidum, demonſtrant operationes ſuperius adductæ: ſoluit.n. digerit, aperit, extenuat, abſtergit, & acrimoniam habet, vt ipſe Galenus fatetur. Eſſe inſuper frigidum, & rationes à Manardo, & ab alijs inſertæ, atque Galeni decretum, lectores ambiguos reddunt. Idcirco videamus, vtrum adeo ſit calidum, vt nullo modo ſit frigidum, vel illud frigidum; & non calidum, vel vtraque linea dignum dici poſſit. Equidem ipſe ſerum tota natura eſſe calidum nec credo, nec admitto, cum ſuas habeat partes diſſimiles, quare calidum dici poſſe, atque frigidum, & ratione caliditatis, & acredinis

ſol-

Digitized by Google

ſoluere,& ratione aquoſitatis refrigerare aſtruo. An autem magis ſit calidum,quam frigidum, & è contra, hoc opus,hic labor.

Vt autem rationes meæ magis conſequantur, hoc vnum primò compenſandum puto. Serum ſcilicet dupliciter conſiderari, vel cum lacte vnitum, & nullo modo diuiſum,vel à lacte ſeparatum,& abſtractum, & abſolutè ſumptum.Si enim fuerit cum lacte acceptum, vtique illud temperatum eſſe ſuſtinemus. In primo opuſculo probauimus, lac ſanguine per nouam coctionem eſſe calidius: quam opinionem non ſolum ego ſuſtineo, ſed prius me Ioubertus, & cum me Fortunatus Fidelis Siculus, cuius opus nuper ad manus meas deuenit. Serum temperatum iudico,nam & eius acrimonia partes aqueas temperat.

Fundamenta autem ſcribentium, ſerum eſſe frigidùm,haud me terrent,quando apertè cognoſcimus ob aqueam ſeri apparentia in id deueniſſe,vt totum frigidum iudicarent: parum animaduertentes reſpectu corporis noſtri,etiam ſi eſſet ſerum calidius temperata natura.frigidum reſpectiuè poſſe denominari.Quod autē Manardus propterea exiſtimet, lac Aſinæ frigidum,nam ſi ſerum eſſet calidum, totum lac eſſet calidum,atque hecticis non dari nugæ ſunt,nam hoc modo etiam panis interdiceretur hecticis, & iura conſumpta, & ſimilia cibaria, & tamen hęc non negantur: nec lac Aſininum,quod hecticis datur, tanquam refrigerans auxilium,vt ipſe putauit, à doctis medicis præſcribitur,vt puto,ſed vt attemperans, & reficiens. Serum ergo temperatum eſt,& cum butyro calidæ, & humi-

humidæ temperaturæ, caſeoſam partem frigidam in lacte temperat, redditque illud ſanguine calidius ope coctionis nouę in mammis peractæ. Nec quia lac Aſinæ ſeroſius eſt, ergo calidius: cum potius magis ſit temperatum in actiuis qualitatibus Caprillo, quod eſt minus ſeroſum, nam & hoc non à ſero procedit, ſed à natura animalium, quę ſecundum magis, & minus differunt in caliditate, & frigiditate. Habes hoc in Auicenna lib. 2. cap. 441. cum dicebat lac diuerſificari ſecundum ſpeciem animalis: nam quò calidiora ſunt, eo lac calidius, quo frigidiora frigidius: inde dat exemplum de Camelo, in cuius lacte ſalſedo ſentitur. Hinc Iſaac lib. 1. de Diœtis Vniuerſ. cap. 57. dixit, diuerſitatem ſeri in lacte procedi à diuerſis naturis animalium, ex quibus prodit. Si enim prodierit ex animalibus calidis, ſicuti ex Camelo, valere in puſtulis cutis, oppilationibus hepatis, & ſplenis, & craſſis humoribus ſubtiliãdis in venis meſaraicis, & in poris venarum, & hepatis: nam & ſerum Cameli acutum eſt. At ſerum, quod procedit ab animalibus temperatis: ſed tamen aliquantulum frigidioribus, ſicuti eſt Caprarum, valere in melancholia de incenſa colera rubea, vel ſanguine.

Ex hoc poterimus ponderare, lac Aſinę temperatius eſſe in qualitatibus actiuis, Caprillo; at lac muliebre temperatiſſimum, atque maximè omnium accedere ad naturam noſtram. Sic & de ſero dicimus. Aſininum enim temperatius eſt caprillo, temperatiſſimum verò muliebre. Non ergo ſerum determinandum erat ſecundum genera: ſed ſecundum ſpecies à Ma-

nardo,

nardo,& alijs: ita equidem fuiſſet recta determinatio: confundere enim omnes ſeri ſpecies in vnam qualitatem, potius eſt inducere obſcuritatem, & errorem, quam lu ciditatem in rebus. Serum itaque in lacte temperata portio eſt in actiuis qualitatibus ſecundum ſpeciem animalis,& vnumquodq; in ſpecie ſua. Comparatum verò ad diuerſas ſpecies, poteſt dici calidum & frigidum: exempli gratia; Serum Cameli calidius eſt Caprillo: Caprillum Aſinæ: Aſininum muliebri, & è contra. Idcirco cum affectibus vacamus, & lacte opus eſt, vt puta hecticis, primo loco eligimus muliebre, tanquam temperatiſſimum, & magis familiare, eius loco Aſellæ, quod eſt minus temperatum: hoc minus eſt Caprillum, minimè omnium Cameli: Sic enim iſtorum ſera compenſantur. Nec exemplum, quod Manardus affert de hordeo, quod vim habet abſtergendi,& tamen eſt frigidum, eſt alicuius valoris, nam hordeum abſtergit, ſed non ſoluit, digerit, aperit, vt ſerum facit: proinde malam poſuit comparationē. Sed redeamus ad inſtitutum.

At ſi ſerum conſideratur diuiſum à lacte: tunc primo fiat iſta diuiſio. Serum vel extrahitur à lacte medio frigido, vel à calido, & propriè a coaguli virtute: ſi à frigido lac condenſatur, quæ potius eſt congelatio, cuius vis eſt exprimere, & fugare caliduram: vtique eius ſerum à calore recedit & ad frigidum accedit, media enim congelatione debilitatur eius natura: nam & à frigore vincitur, propterea ad frigidum mittatur. Vide Ariſt. 4. Metheor. docentem quæ à frigido congelentur, vt aquea,& quæ à calido, vt terra.

Sin

Sin autem lac vi coaguli condenſatur, vtique diuerſam acquirit naturam, vt etenim fuerit coaguli qualitas, talis in lacte imprimitur. Suilli coagulum, quia mediocrem retinet acredinem, ſolet & partem caſeoſam, & ſerum alterare ad caliditatem, & butyrum ipſum: at Caprillum, & Ouillum, quia acriora, & calidiora ſunt, maiorem imprimunt caliditatem, acrimoniamque illorum adeò intendunt, vt ſerum potius calidum, quam temperatum eſſe dicas. Patet hoc ex caſeis, ille enim, qui ſuillo coagulo fuerit compactus, dulcis eſt, & ſtomacho gratiſſimus, qui autem Caprillo, vel Ouillo fuerit coagulatus, vtique acris, & admodũ ori ſenſibilis, & palato temporis curriculo videtur.

Hoc ordine ſerum modò plus, modò minus recipit acredinis, eiuſque acrimonia intenditur, & ſic minus, adhitum, vel plus aluum mouet. At non ſolum hiſce coagulis à paſtoribus lac inſpiſſatur, & eius partes ſeparantur: verum atque alijs, vt ſuperius tetigimus. Inſuper cogitur lac ſucco ficulno: de quo Ariſt. 3. de Hiſtor. an. cap. 20. Succus, inquit, ficulnus lana exceptus pauxillo lacte abluitur, quod iniectum lactis copiam denſat, & coloſtrat. Hæc ille. At ſerum huius lactis validiſſimum eſt, & profusè aluum mouet, nam & ſuccus ficulnus violenter ſoluit, & ab eo partes ſeri aqueæ quaſi medicamentoſa facultate imbibuntur, & proinde ſoluunt.

Aetius ſermone 2. cap. 96. Cnici ſemine lac inſpiſſari docet, hoc modo. Cnici ſemen contunditur, eoque lac coagulant, & validum ſerum efficiunt. Deinde excolant, & ſalem, aut aquam marinam addunt,

rur-

rurſusque coquunt, & exhibent. Hinc addit Aetius. Fortiter itaque hoc purgat, & omnium iucundiſſimè bibitur.

Ecce modò, quod ſerum à vi coaguli recipit vires, & potentiam maiorem ſoluendi, nā eius partes aqueæ alteratæ à coaguli acri natura, & caliditate caleſcunt, & ad humorum ſolutionem promptiores fiunt. In hoc propoſito admodum mihi arridet Ariſtotelis ſententia 3. Hiſtor. animal. cap. 21. Coagulum, inquit, lactis ſubſtantia eſt, quippe, quod in eorum ventriculo, quæ ad hunc lactent contineatur. Eſt ergo coagulum lac, ignem habens intra ſeſe, quod cum animalis tempore concoqueretur caſeum traxerit. Hæc ille. Hoc etiam Galen. 3. Alim. fac. 16. Ex quibus apertè noſcimus, lac à coagulo recipere caliditatem, & ſubſequenter ſerum, in quo quia partes reſidebāt ſubtiles, calor magis imprimitur, nam maior eſt illarum ad recipiendam qualitatem aptitudo; hinc ſeri acrimonia connaturalis magis intenditur.

Ego pleroſque paſtores aduocatis, & in arte caſearea exercitatos; vt de re hac me conſulerent. Omnes pari voto faſſi ſunt, lac Caprillo, vel Ouillo coagulo inſpiſſatum, maiorem ſoluendi, reſpectu ſui ſeri vim acquirere, quam ſi coagulo ſuillo condenſatum eſſet: ſuillum enim tantæ acredinis non eſt, & aceto diluitur, cum ad opus paſtores accingunt. Maximam dicūt recipere ſucco ficulneo, & eò magis ſi coagulum maiori portione, ex conſueto pro lacte inſpiſſando additur.

At his non contentis ad experimenta deſcendere

Q volui,

volui;atque lac ſpiſſari modò Suillo, modò Caprillo, modò Ouillo coagulo volui,& ſic coagulatū aliquot pane intincto comedere iuſſi;fateor lac coagulo ſuillo concretum non multum aluum mouere, caprillo autem,vel ouillo multum ac profusè,ratio eſt, nam caprilli,& ouilli coagulum acriùs eſt, & calidius.

Inſuper quidam amicus ad maiorem cautelam, & experimenti ſecuritatem,dupla portione coaguli caprilli, lac inſpiſſari curauit, quod non paucis,me præſente, exhibuit, & eodem tempore, qui deinde per totum diem aluum profuſiſſimam habuerunt. Si igitur lac inſpiſſatum talibus coagulis, in quo partes craſſę,& adſtringentes caſeoſæ ſunt, ſoluendi medio coagulo vim acquirit,quanto magis in illius ſero,hāc vim ſubducendi introduci ex aptitudine poſſe credendum eſt.

Referam quod mihi Cercelli in cura Excellentiſſimi Principis Nicolai Mariæ de Summa ſucceſſit. Ille ex hepatis acribus vaporibus,inflammationes vuluæ, & oris palati patiebatur: fuerunt adhibita remedia, præuia ſanguinis miſſione, tum ad humores concoquendos,tum euacuandos bolo Caſſię,cum Electuar. Diacaptol.& inter alia præſidia, vt ſe tueri poſſit ab huiuſmodi inuaſionibus acribus,& calidis,in futurum, ſero Caprillo ad vncias 9.per dies quindecim Vere vti conſului,ratus tali remedio Hepatis eius naturam calidam poſſe ſolutis acribus humoribus moderari. Ille tempore præfiſſo ſerum Caprillum aſſumpſit: at nec ſolito aluus mollior viſa eſt: ſenſijt tamen aliquid beneficij vocatus in fine percepi lac caprinum, è quo

ſerum

ſerum pro Principe capiebatur, ſuillo coagulo fuiſſe compactum, ex quo pauca vis ſubducendi capitur: at ſi Caprillo ſeparatum, vtiq; Princeps hic aluum profuſam quotidie habuiſſet. At illic Cercelli æſtiuo tempore lac omne coagulo ſuillo inſpiſſatur, vt caſeus dulcis, & ſuauis ſtomacho reſultet; qui mos antiquus eſt. Propterea Regis Alfonſi Primi curriculo floruit caſeus Cercellinus, eo quod dulcis, & ſtomacho gratus erat: nec ob aliud: quam, quòd lac ſuilli coagulo condenſabatur.

Inſuper vocatus ab Illuſtriſs. D. Franciſco Brancia, vt D. Hieronymam eius filiam curarem, patiebatur hęc Domina vlcuſculas, ſalſas, pruriginoſas in capite à vaporibus etiam hepatis calidis, acribus, & ſalſis eleuatis ad caput. Huic purgato corpore, ſerum Caprillum conſului primo Vere capiendum. Vſa eſt, aluum ſemper lubricam habuit, quia lac, coagulo Caprillo inſpiſſabatur, ex quo ſerum acrius, magiſque ſolutiuum euadebat.

Ioannes Baptiſta Nani Perilluſtris Baro Regini ex Hepatis incendio, vlcera, & pruritus femore, & coxis patiebatur, non ſine ingenti moleſtia, nam & totus quaſi vlceroſus videbatur. Huic adhibito leni medicamento purganti, ex zaccharo roſ. perſic. & violæ, in ſero Caprillo per noctem infuſ. Serum per plures dies accepit, aluus ſemper mollem habuit, ex coagulo caprillo, cuius acrimonia lac, & ſerum magis ſoluebat, & acres, & ſalſos humores purgabat, & ſanus factus eſt.

Sunt inſuper innumeri apud me languentes, in

Digitized by Google

quibus diſcrimen hoc experiri placuit, fateor, ſemper verum inueniſſe: atque ſerum à coagulo nouam recipere acrimoniam, & qualitatem, qua plus, vel minus aluus citatur: eius enim natiua acredo acuitur, & fuſius aluus mouetur.

Nec terreat nos Dioſcoridis opinio lib.2. Simplic. cap.67. dicentis, Coagula eiuſdem eſſe naturæ: nam ſi benè recolitur eius ſententia adducta eſt in Aconitum ſumptum, contra cuius veneni virulẽtiam, omne coagulum cum vino ſumptum bonum eſt, & cum aceto propinatum valet in lacte ingeſto, & coagulato in ſtomacho. De huius affectus Cur. agit Amatus Luſitanus emendatus Centur.6. Cur.56. At non per hoc ſequitur coagula inter ſe non differre, & eſſe æqualis naturæ, eorum enim aliqua calidiora ſunt, magis acuta, digeſtiua, & execantia, aliqua minus: vt de Caprillo, Ouillo, & Suillo coagulis diximus: & dicerem etiam de Leporino, quod omnium iudicatur præſtantiſſimum, & viribus acerrimum: at hoc in lactis coagulatione paſtores in vſu non habent. Vide de his Dioſcoridem in loco citato.

Sed in dubium incidimus maximi momenti, ſine cuius ſolutione, omnia noſtra fundamenta ruerent. Probauimus enim ſerum à coaguli viribus intendi, ad calorem, ſolutionem, & ad alias operationes, quę ei ab auctoribus attribuuntut: attamen in praxi oppoſitum conſpicitur. Coagulum enim bibitum conſtipat vẽtrem, & fluxum reprimit, vt Auerroes lib.9. collig. cap. 47. quod etiam non ſiluit Dioſcorides loc. cit. dicens conuenire fluxui menſtruorum, hęmorrhoidum, Dyſente-

ſenteriæ,ſanguinis profluuio muliebris,cęliacę paſſioni,&c.pręſertim leporis coagulum, quod fuerit antiquum: coagulum enim quantò vetuſtius, tantò melius,& efficacius iudicatur.

Equidem paradoxa afferre videbimur, ſi vnum, & idem ſoluere, & ſtringere aluum poſſe probabimus. Coagulum omne,quia acre,calidum,& ſubtiliatiuum eſt,potius moueře ſolutionem,quam ſtipticitatem facere credendum eſt: ratio eſt, nam hę cauſę manifeſtę ſunt,vt ipſe Auerroes fatetur: manifeſtè enim videmus,illud attenůare, & diſſoluere grumos ſanguinis,vel lac caſeatum in ſtomacho, vel in mammillis. Et ratione acredinis videmus ſerum inficere,& ad ſolutionem profuſam diſponere, quemadmodum lac nutricis inficitur à medicamentis purgantibus; cum capiuntur ad lactentes purgandos: Exemplum etiam eſt in Capris Helleborum,vel Titimallos veſcentibus, quæ quia lac generant ab ijs infectum, illud vomitiuum, & ſolutiuum facere conſueuere. Hoc docet Dioſcorides.

Quod autem coagulum videatur ſtringere, nullum maius experimentum inueniri poteſt, quam ipſius videre aptitudinem in lacte coagulando, & in profluuijs ſiſtendis. Quid ergo dicendum? Equidem credere coagulum verè aſtringere, non omnino ſecurum eſt, tum quia ipſemet Auerroes loco cit. dicat id facere occulta proprietate, tum etiam auctoritate Gal. nec non & Auicennæ lib.2.cap. de Coagulo. Non adminiſtretur, inquit, quod ex coagulis acutum eſt in loco, vbi neceſſaria eſt conſtrictio. Hæc ille. Ergò non adſtrin-

adſtringit. Vt autem ad veritatẽ accedere valeamus, alia ratio, alia inquiſitio neceſſaria iudicatur.

Dicamus igitur. Coagulum ratione ſuæ naturæ acris, & calidę non propriè lac coagulare, ſed attenuare potius, & diſſoluere partes diſſimiles, ſeu ſeparare craſſas à ſubtilibus, quod eſt rareſacere, & perinde vnire quod ſimile eſt, & diſiungere diuerſa. Hac via coagulum vnico actu ſoluit, & adſtringit. Vide Marcellum Donatum lib. 1. de Medica Hiſtor. cap. 4. Ita in ſanguinis grumis, & in lacte caſeato in ſtomacho, attenuat, & diuidit. Ita in alui profluuijs, quod enim facit in lacte, operatur in fluxionibus: nam & dum partes craſſæ ſeparantur à ſubtilibus, facilè ſuccedit humorum fluidorum, & craſſorum inſpiſſatio, nam ſubtiles quodammodo etiam retinentur, dũ craſſæ ineptæ ad motum non mouentur ad exitum, vt in lacte coagulato videtur, vbi licet caſeoſa pars ſit à ſero diuiſa, non propterea ſerum penitus ab ea diſiungitur ſine miniſtri opificio. Hinc reſultat corporis, vel aliarum partium conſtrictio, & hoc, per accidens, quã rationem ſi attuliſſet Auerroes, forſitan ad cauſas occultas non habuiſſet recurſum.

Hinc benè Amatus Luſit. Centur. 6. Cur. 56. in ſchol. Si lacti, inquit, coagulum infundimus, lac breui concreſcit, & coagulatur, quod ſi lacti iam concreto coagulum miſcuerimus, tantum abeſt, vt lac ipſum coagulabitur, vt potius id eliquabitur, & diſcutietur. Nec alia eſt ratio, quàm quia coagulum, vt diximus, agit partes rarefaciendo.

Propterea ab auctoribus, inter quos eſt Ludouicus Mer-

Mercatus lib. 4. de affectib. mulier. cap. 19. ſcribitur. Coagulum conſtringere,& attenuare. Imo teſtimonio Dioſcoridis habemus. Coagulum diſſipata cogere, & coacta diſſoluere. Iacobus de Partibus ſuper Auic. in cura de fluxu, coagulum, inquit, materias ſolutas coagulat,& fluidas inſpiſſat. At Gentilis ibidem clarius. Coagulum, inquit, habet virtutem eliquãdi coagulata,& coagulare liquata.

Ex adductis à nobis, quam facilè, controuerſia antiquitus habita inter multos ſcriptores de ſeri temperamento dirimitur. Qui enim dixerunt eſſe frigidum, & humidum totum, vel præ dominio peccarunt, nam & illud tum per nouam coctionem in mammis cum alijs lactis partibus, tum per eius acrimoniã temperatum ſit, conſtat hoc ex ſapore ad dulcedinem vergẽs, & ex facultatibus apparentibus. At ſi diuiſum a lacte opinati ſunt, medio coagulo, magis peccarunt, nam coagulis extractum ad calidum vergit, intenditur eius acrimonia,& ab illorum acredine caleſiunt: Propterea Arabes, Mauritani,& Damaſceni Medici, laude digni ſunt, annuentes eius temperamentum calidum, & ſiccum eſſe,& inter Neotericos Ioubertus, Matthiolus,& Lelius à Fonte Conſult. 47. Quia autem eorum opinio ſine diſtinctione adducta eſt, non poſſum facere, quin eos, negligentiæ nomine redarguam: mirorq; admodum nec Braſauolam, nec Monardum, aut Augenium, nec tot ex ſcriptoribus id perpatraſſe: animoque meo id factum fuiſſe coniecturo, à coaguli facultate perperam intellecta, & ſeroſum à veritate conſiderata.

At quod magis admiror,eſt Alexandrum Maſſariã, qui 3.Medic.Pract.cap.10. adamuſſim Manardi opinioni adhęret,eiuſque fundamenta,quaſi ad verbum tranſcribit,ſed paulo poſt confitetur ſerum à coagulo recipere calidam facultatem. Referam eius verba, vt lectores percipiant,quanta inter ſcriptores noſtros reperiatur diſſonantia.Serum (inquit ille) apud quam plurimos conſueuit parari ex coagulo, denſato lacte, qui mos apud vulgares eſt commmuniſſimus:ſed quoniam coagulum manifeſtiſſimè habet vim valde acrẽ, & exiccantem,quod etiam traditum eſt à Galen. 10. Simplic.med.fac.Propterea iſthęc ſeri præparatio cenſenda eſt importuna,cum coagulum poſſit ſero communicare propriam facultatem, & illud poſſit magis calefacere,& exiccare,quam refrigerare, & humectare. Hæc ille.Sed quod magis eſt ridiculum,laudat antiquorum prępарationem,quam Dioſcorides affert ex ramo ficulno,credens eſſe mitiorem,quæ fit coagulo, neſciens ficulni ſuccum,& lac inducere ſero, tum maiorem acredinem,tum maiorem irritationem naturæ ad aluum laxandam.Poſtremo hic meliorem præparationem parat,quam imitari poſſe conſulo omnes.

Sed ſi Maſſaria ceſpitauit,Augenius non dormiuit. Hic lib.7.Prioris Tomi Epiſt.1.Conſulit in ſeri vſu,ne illud exhibitum retineatur,dicens maximi mali cauſam fore,nam cum humectet,& refrigeret illud, viſcera naturalia nimium labefactaret,& præterea flatuoſi ſpiritus copiam gigneret. Vt autem hoc euitetur, admonet in magna quantitate exhiberi, vt pręcepit Dioſcorides. Sed dicas mihi doctiſſime Augeni,Eſt ne

ſerum,

ſerum,nix,glacies,aut ſpiritus procellarum, qui poſſit tam citò viſcera naturalia labefactare? Non ne ſcis ex Galeno in ſero adeſſe acrimoniam,atque extrahi à lacte medio coagulo acri,& calido,ſecundum vulgarem vſum,quomodo igitur eſt tam frigidum , quod mortificet?

Sed ſi Neotericos admiramur, cur non & Galenũ noſtrum,medicinę parentem,& qui lucem,& claritatem nobis attulit doctiſſimis ſuis libris . Hic nulla habita de ſero diſtinctione modo ei calidas virtutes, & acres attribuit,modò frigidas , & humidas , vt verè poſſimus dicere confuſionem in hac re potius , quam certitudinem attuliſſe. Quippe veritus non eſt dicere 3.Alim.fac. 15. Seri humiditatem non eſſe , quam fugiunt medici,ſed eius acrimoniam . Si igitur in ſero cognouit eſſe acrimoniam , cur ſiluit coagulo poſſe vigorari,& intendi, & fieri illud perinde , calidum , & ſiccum,& profuſius aluum citare? Forſitan à præparatione,quam attulit loc.cit.poſſet excuſari : cum re vera ad refrigerandum,& humectandum corpus, omni alia ſecurior eſt. Elixat enim lac , & conſumendo ſerum aquam addit,vt ibidem videri poteſt. At illa pręparatio aluum non ſubducit, licet ratione aquæ refrigeret,& humectet,mihique magis placet Alexandri Maſſariæ ſeri pręparatio in loco citato.

Sed curioſus poſtularet,cur ſerum à coagulo poſſit alterari , & aluum fuſius mouere,caſeum verò nequaquam aluum mouere, ſed ſtringere potius . Huic dicimus partem caſeoſam lactis alterari etiam ad calidum,& acredinem, at reſpectu partium craſſarum al-

uum non ſoluere,& eo magis, quia dum caſeus paratur,in formulas ab eo exprimitur ſerum;reſpectu cuius fit ſolutio : & ſic in caſeo deficit potentia mouendi aluum,& acquiritur vis calefaciendi : quæ cum ſale aſſociata,maior redditur. Contrà in ſero,cuius partes,quia molles, & humidæ actu ſunt, atque ſubtiles facilè alterius naturam recipiunt, & eo magis, quia in illo aliqua acredo,& caliditas inereat, cuius ratione conſimilis naturæ facilè poteſt addi facultas.

Apertiſſima ergo eſt via, qua noſcimus, totum lac hauſtum licet ratione ſeri aluum ſubducat, non poſſe profusè aluum ſoluere,nec naturam incentius ſtimulare,quemadmodum & ſerum ipſum : ratio eſt,nam in lacte partes craſſæ, & adſtringentes caſeoſæ reſtant, non ad aluum ſoluendam idoneæ. Imò hęc differentia non reperitur inter lac ſolum, & ſerum, ſed etiam inter alias lactis ſpecies: Lac enim muliebre, vel Aſininum,minus ſoluit,quam Caprillum, minus Ouillũ, minimum Vaccinum. Contrà cum ſerum tantum haurimus,quantò enim acriori coagulo fuerit imbutum, vti Leporinum,Caprillum, aut Ouillum eſt, tantò profuſiùs aluum citabit, minus cum Suillo ob eius mitiorem acredinem.

Nec moueat nos ad credendum aliquorum ſcriptorum ſententia,Aſininum, & muliebre lac,non poſſe à coagulo alterari, eo quod aiunt animalium lac vtriſque dentatorum non coagulari, & perinde ſerum coagulo non ſeparari,nam vera haud eſt, quippe in omni lacte caſeoſa pars,quę medio coagulo,ſeparatur, à ſero : licet in ijs minor ſit, quàm in non dentatis

vtriſq;

vtriſque. Idcirco ſi lac Aſininum coagulum pateretur, pars eius caſeoſa à ſero diuideretur. Ego hic fœminam cognoui admodum ſalacem, cuius filij ex lactis nutricatu omnes moriebantur, ex obſtructione in venis hepatis, & meatu chiſti fellis, cauſata à lacte craſſo. Placuit experiri coagulo: fuit lac coagulatum, eratque maior caſeus, quam ſerum: quare admonui, vt puer ab ea nutritus, ab altera lactaretur: Euaſi puerulus licet valetudinarius.

Ecce modò, quod lac ab vtriſque dentatis eductum coagulatur. Hippocrates etiam in lib. de Aere, aquis, & locis, & 5. de Morbis, nec non & Herodotus apud Scythas tradunt, Equarũ lacte coagulato fieri caſeum vocatum Hippacem, nec non & Butyrum ex eodem lacte confici. Scriptores noſtri, vt credo, dixerunt talium animalium lac, non coagulari, fortſitan attendentes ad paucum caſeum, qui extrahitur, vel quia ex modicitate caſei, quaſi maſſa non coagulata videatur.

Quidam cuſtos ouium Cercelli, vir in re caſearea admodum exercitatus, retulit mihi, lac à ſe coagulari coagulo Caprillo, & Ouillo aqua diluto, vt eorũ acrimonia contemperari valeat, atque ex ijs caſeum fieri acutum, & mordicantem, in hoc autem coagula differre prædicta. Caſeus enim ex coagulo ouillo preſſus tum acredinem, tum colore flauitiem, habet ſubſtantiaque compactus, nec ebulliens eſt. Verum ex Caprillo, acutus ſapore fit, eleueatus, ſuſſuris plenus, nec benè, ob coaguli potentiam compactus.

Inſuper retulit lac etiam à ſe coagulo Suillo inſpiſſari, aceto autem commiſto, atque deinde caſeum com

parari non admodum acrem, dulcem verò, & ſtomacho amicum: illoque coagulo, calidiſſimis temporibus vti, nam ſi & ijs, Caprilli, & Ouilli coagula in vſu haberet, propter maximum, quem retinent feruorem, & caliditatem, æſtiuis temporibus, caſeus in ebullitionem deueniret, & putreſceret in quoſdam vermiculos. Proptærea his vtebatur frigidioribus tempeſtatibus, in eſtiuis Suilli coagulo; ita caſeus ad votum ſuccedebat.

Aperuit etiam tanquam expertiſſimus, recoctam bis à lacte poſſe comparari, primò poſt lactis coagulationem, ſeparata à ſero caſeoſa parte. Secundò à ſero ipſo, addita noua coaguli portione cum aqua, vel aceto admiſti, atque nouiter igne feruefacti, in qua alterius recoctæ extractione, quia propter ebullitionē ſerum conſumitur, eius vice aqua additur, hinc ſeri acrimonia ab aqua contemperatur, reſultatque illud colore aqueo, lucidoque, & qualitate ad refrigerandū, & humectandum corpus remedio quolibet præſtātius: perdit enim tum acrimoniam, tum caliditatem, atque optimum efficitur Vernali tempore, vt ægris ad refrigerium partium corporis concedatur. Nam frigidum, & humidum eſt.

Forſitan hoc ſerum eſt illud, quod conſueuit fieri tempore Galeni, vel calore, vel ignitis lapillis, ad ſeri conſumptionem, cuius vice aqua addebatur, ita enim frigidum, & humidum reſultabat conſumpta acrimonia. Hinc ex paſtoris experimento multorum medicorum diſſentiones, & ineptiæ aperiuntur; Digladiantur enim ſerum eſſe frigidum, at neſciunt quale ſit, igno-

ignorant præparationem, & loquuntur per traditionem aliorum, qui forſitan nunquam lac videre coagulatum, nec fieri recoctam.

Accipit igitur ſummam, & metam huius negotij. Si optamus tantùm ſoluere aluum, crudo ſero vti poterimus, quod paratur ex prima coagulatione lactis, nam & hoc ad lubricandum ventrem idoneum eſt: Sin tamen ad refrigerandum, & humectandum, vltimo vti opus erit, extracta bis à ſero recocta: hoc infirmis aptum, & præſtantiſſimum eſt, ſin autem ſoluere humores acres, & calidos, ſalſoſque optamus, atque corpus ad temperiem reducere, ſerum coctum, caninum dictum propinabimus, ita ex accidenti, corpus refrigerari, & humectari videbimus, licet ſerum vi coaguli fuerit ad intenſiorem acrimoniam redactum: Hoc erit ſerum, extracta prima recocta, peractum: quod ſi fuerit coagulo ſuillo paratum mitius erit, potentius Caprillo, vel Ouillo, vt aliàs diximus.

De Seri vſu. Cap. 3.

SEd accedamus ad Seri vſum, enumeremuſque morbos, in quibus à Medicis vſurpari conſueuit. Galen. 10. Simpl. med. fac. ſic de Sero loquutus eſt. At Serum, inquit, vt dictum eſt, extergendi potentiam poſſidet, adhibeturque ſubducendi ventris gratia, ac per clyſteres inijcitur, extergens, & abluens ſine mordicatione inteſtinorum acrimoniam. Præterea

ſi quis

Digitized by Google

ſi quis vlcera,quę ſanie infeſtantur acri, vice aquæ ſero colluat optimè ſanè fecerit. Pręterea quæcunque medicamenta digerere ſolent ecchimomata,& atra, ea præſtat ſero,quam aqua diluere. Sic etiam eo vtimur ad ſuggillata,& hypoſphagmata peculiaribus ad hæc medicamenta commiſcentes. Hęc ille. At in 2. Simplic.med.facult.11.Sero vtitur ad mordicationes, & 2.de Art.Cur.ad Glauc.cap.10.pro cibo in Cācris.

Auicenna lib.2.cap.441. Aquoſitas, inquit, lactis eſt ſubtiliatiua,lauatiua, ſolutiua ſine mordicatione; Impinguat habentes complexiones calidas, & ſiccas, & non impinguat eos,niſi propterea,quod humectat, & extrahit humorem malum,& cum Myrabolanis ſcabiei eſt conueniens, & ſoluendo educit choleram aduſtam, & cum epithymo ſoluit melancholiam aduſtam. Hęc ille.

Sed referamus quę à Galen.3.Aliment. fac.cap.15. pro ſeri propinandi methodo adducta ſunt. Quantum verò ſerum ab alia lactis (inquit) natura, ſucci bonitates ſuperatur,tanto alia omnia, quę ventrem deijcerit ſuperat,ob id veteres ad aluum ſubducendam hoc potu plurimi vti videntur. Tantum autem mellis optimi ei eſt inijciendū, quantum ſuaue citra ſtomachi euerſionem ſentietur. Pari modo, & ſalem ea menſura inijcies,quoad guſtum non offendat, quod ſi ipſum magis ſubducere velis,ſalis quam plurimum inijcies.Hæc ille. At nos loco mellis zaccharum addimus,ſic & ſerum ſtomacho gratum, & palato iucundum paramus,præſertim cum corporis partes calidas contemperare volumus, in quo caſu zaccharum

mellę

melle conuenientius eſt.

At ſi quis magis ſoluere in animo habuerit, ſal ſero ſi adijciet; efficaciſſimum habebit medicamentum: Seri enim facultas, eiuſque acrimonia magis intenditur. In morbis tamen calidiſſimis à melle fugiendum, & à ſale, ſufficiat ſaccharum: vtique in ijs blandæ optantur ſolutiones: Propterea veteres in cura Cauſi, ſero vtebantur, vt in 4. de Rat. vict. in acut. vſus eſt Hippocrates. At in primo de Rat. cap. 4. legitur. Cnidios in non acutis etiam ſero vſos: illudque in magna copia propinaſſe, quod non ſiluit Galen. in lib. de ſalubri Diœta Com. 18. vbi diſputat de ſeri menſura potionis: de qua re nos inferius verba faciemus.

Meſues dum de ſero tractauit ei vim ſubtiliandi, abſtergendi, lauandi, & ſoluendi attribuit, atque illud mel vigorari in operationibus ſuis. In hoc conſiderandum conſulo, quod ſuperius diximus, dum de melle cum ſero admiſto loquuti ſumus. At ſciendum eſt, in præſentia non modo illius operationem melle vigorari, verum atque alijs ſimplicibus. Serum enim ipſo auctore fundamentum eſt infuſionibus, nam ex ſe non eſt tantæ operationis, vt ſolum ſufficiat in aliquot morbis complere curationem: propterea & morbi naturam, & ſeri pręparationem medicus debet compenſare antequam ad eius vſum accedat.

Idcirco ſerum ad ſanguinis purificationem lupulis poterimus alterare; ad bilis abſterſionem Myrabolanis, vel Rabarbaro, ſi ex meſenterio bilis elici debet. Vel ſucco roſarum, quo illa à capite abducatur: Cum Tamarindis ſi è iecore bilis euacuanda: Cum Caſſia,

quando

quando reſedit bilis in ventriculo. Cum Agarico præparato,vbi bilis cum pituita dulci, è pectore prolectari debet. Cum Epithymo, quando bilis vſta ex corporis habitu, [*vt in ſcabie*] euocabitur. Cum Polypodio, vt bilis in cineres vſta ex liene, & hepate proijciatur. Cum Stæcade,vt à iuncturis ablegetur in podagra calida. Cum Aſſaro,aut iride in hydrope cum bile. Cum ſucco Endiuię,aut cuſcutha, vt ferocia ſplendentis bilis extinguatur. Cum ſpica, & abſinthio cum eluenda bilis è ventriculo.

Proponatur interdum cum Eupatorio, fumaria, apio,fœniculo,amygdalis amaris, vt à melancholia miſtio eius arceatur. Cum ſeminibus frigidis, quò bilis facilè è pulmonibus,& renibus effluat. Cum cetaracho abducit bilem aſſatam ex meſenterio. Vide Heurnium lib.2.Method.cap.22.

Ego ſero ſępè vſus ſum cum ſyrupis, & conſeruis ſolutiuis,atque ſuccis,ſępè etiam cum cõfectionibus, & negotium optimè ſucceſſit. Erant ſyrupi ex infuſ. roſ.perſicar.rub.& violarum : Conſeruæ erant de roſis perſicis,& violar.ſucci de fumiterra,& roſ. Confectiones.Hamec.Diacaptolic.Diaphin.&c. teſtorque cum ijſdem,& nonnullis ſimplicibus additis ex ſuperioribus deſcriptis, quemadmodum morbi natura poſtulabat, vti ſena eſt, agaricus,rabarb.&c.me quamplures quaſi de vita deſperatos ab orci faucibus reuocaſſe, nam & ſerum cum vigoratione benignum, & excellens eſt medicamentum, nam ſine moleſtia operatur, quod eſt præſtantiſſimum requiſitum in medicina noſtra.

Sed

Sed veniamus ad reliquos morbos, in quibus ſerũ prçcipuè vſurpatur. Equidem illud humores cholericos,ſalſos,& aduſtos ex ſui natura principaliter ſoluit. Ea propter Phreneſi, Melancholiæ, & omnibus morbis ex obſtructione ſubortis, vti ſunt Icteritiæ, & lienis oppilationes opitulatur. Febribus cholericis ſubuenit,omnibuſque cutaneis infectionibus nempè impetigini,vitiligini alphis,pſoris, pruritui ex phlegmate ſalſo prouenìente: ſcabiei,puſtulis vlceroſis, ac lepræ ſuccurrit.

Vtimur hoc ſero,quin etiam ad pudendorum vlcera,& ad omnia,quæ leniri poſtulant,ſiue ob phlegmonem,ſiue ob morſum,ſiue ob malignitatem. Ea propter cancroſis applicatur vlceribus medicamẽtis anodynis commiſtum,qualia ſunt,quæ conſtant ex pompholyde,vt Gal.10.Simpl.med.fac.In his autem morbis præfertur ſerum,quod fit ex lacte nigrarum caprarum in laudatis paſcuis victitantium, recenterque fœtarum.

Dioſcorides lib.2.Simplic.cap.63.De ſero loquens probauit lac omne,ſuum habere ſerum. Illud in *ijs* conuenire morbis,in quibus abſque acribus, & mordacibus medicamentis purgare cupimus, quales ſunt humores melancholici: epilepſia,ſcabies,lepra,& puſtulæ vlceroſç.

Galenus 14. Method. cap. 17. Serum Caprillum vſurpauit,cui minimum ſcamonium impoſuerat [*doſis forſitan quatuor,aut quinque grani*]in Herpete exedẽte à quo affligebatur Illuſtris mulier Romana in malleolo,quo remedio ſanitati fuit reſtituta. Sed videamus,

S mus,

mus,quod nam ſerum conueniat Melancholicis: licet noſtrates medici vt plurimum Caprillo vti ſoleant. Hoc in lib.de Melancholia ex Galeno R.& P. carpitur his verbis.Confert in Melancholicis ſero lactis aluum inanire: ſed non eo, quod è caſeo fluit dandum eſt, melius eſt enim, quod feruefacto lacte ſeiungitur ab alio,Sit autem potus lac Equinum,ſin minus Bubulũ, imponaturque nouæ ollę, agiteturque ramo ficus, ac dum efferueſcit ter,aut quater aqua mulſa irroretur: poſtea colatum exhibeatur melle primum admiſto: tum vbi venter fluere cæperit, non amplius addito melle: ſumatur autem ad Corylæ menſuram,nec minus quinque Cotylis. Hęc ibi.

At nolumus tacere,quantum ſerum valeat, in quibus ilia ſuſpenſa murmurant, qui ex Hippocratis decreto lac interdicitur. 5. Aphor. 64. In talibus enim ſerum,ſale,& melle conditum,pręſtantiſſimum eſt remedium,vt Gal. in Com.fallus eſt: citata equidem ipſis aluo ſanantur: quæ tamen ſint ilia ſuſpenſa in Opuſculo de lacte dictum eſt.

Notat vnum Aetius ſerm.2.cap.96. Serum ſcilicet ex longa coctura medicatius fieri, quod concordat cũ Galen.qui aſſeruit nos fugere non debere ſerum: ſed eius acrimoniam: hinc in coctura aquam adijci iubebat,& vt nos etiam experimento paſtoris affirmauimus, ex ſero ōctemperata eius acrimonia mitiores fieri operationes, atque conuenientes corporibus, in quibus non magnum eſt id, quod moleſtat, & in quibus ob mollitiem habitus, ſolum euacuare, & eluere optamus,quæ in ventre,& inteſtinis adhęrent.

Sic

Sic & huiuſmodi ſero vti poterimus, quando à ſolutiuis,& acribus medicamentis exulcerantur inteſtina,ſiue fuerit periculum, vel renes, vel vterum, aut veſſicam exulcerari: quippè accommodatiſſimum eſt medicamentum,& non ſolum his,ſed etiam macilentis,& tenuibus corporibus cum purgatione eguerint. Hæc tamen cautela ſit medicis in talibus curandis affectibus,vt ſerum haud propinent ſale, vel alio medicamento admiſto, nam & his irritationibus, illud ijs eſſet nocumento: ſufficit ſolum cum ſaccharo huiuſmodi ægris prębere,relictis alijs vigorationibus. Ita etiam & pueris,mulieribus,& ſenibus ſerũ hoc abſq; periculo poteſt exhiberi, & in Caniculę temporibus æſtiuis, quando alia medicamenta ſuſpecta ſunt, ſerum hoc intrepidè conceditur, & abſque periculo propinatur.

Corpora autem robuſtiora, & affectus pertinaces, vtique ſero validiori indigent, quod habeat potius acrimoniam,& vigorationem, quam correptionem: aliter hoc medicamentum illorum radices extirpare nequiret. Huiuſmodi ſunt papulę inueteratę, vari liuidi,& vitiati ſub cute humores, in lepra, & ſcabie efferata. Hac methodo attendere poterimus ad vlcera capitis,& totius corporis inueterata, atque ſanie manantia curanda. Hac,ad oculos continua fluxione tentatos,ad ſcabiem palpebrarũ, maculas ſolares in facie, ad longos febrium circuitus: ad cachexiam, pręcipuè,ſi hydrops futura timetur,vt Horatius Augenius Tom.1.lib.7.Epiſt.1. vbi de hicteritia ſeruãda ex ſero, tanquã ex efficaciſſimo medicamento diſſeruit.

Digitized by Google

Hic etiam lib. 12. Prioris Tom. Epiſt. 1. ad fratrem ſuum, qui de arenulis à renibus expurgandis conſiliū petebat, mandauit vt ſerum Caprinum, à quo non caſeus modò, ſed etiam coloſtra fuerit extracta in vſu haberet. Hoc, innuens, ſerum, vim habere refrigerandi renes, deobſtruendi, abſtergendi, & leuiter aluum mouendi. Mercurialis etiam lib. 3. ſuę pract. cap. 29. vtitur hoc pro minuendo renum calore: & in lib. 1. cap. 16. vtitur ſero cum helleboro nigro, in affectu maniaco.

Proſper Alpinus lib. 6. Medic. Method. cap. 3. laudauit ſeri vſum in quartanis febribus à calidioribus ſuccis obortis, quemadmodum & Arabes in hoc morbo facere conſueuerunt.

Trincauellus auctoritate Aetij ſerum in renum vlceribus laudauit. Illud etiam in ſtranguria, & quibus paretur vt magis euacuat, docet lib. 8. de Rat. curandi. Vtitur ſero ad bilem purgandam, innuens niſi copioſum bibatur, parum poſſe euacuare. In lib. 3. Conſ. 17. vtitur ſero caprino in febre per interualla recurrente, & cum tumore dextri cruris. In Conſil. 61. Proponitur a Bellocato ad prȩſeruationem à calculo renum, & ab arthritide ad quatuor, vel quinque cyathos in menſura cum ſucco roſ. vel cihorij Verno tempore. In Conſ. 62. Vtitur in vrinæ ardore cum vlcere in collo veſſicæ, & meatu vrinario.

Mercurialis Tom. 4. Conſ. 55. Tom. 3. Vtitur in murmurantibus Hypochondrijs. Vtitur ſero chalibeato in hecticis, & ſputo ſanguinis laborantibus ad doſim ſex, velocto vnciarum primis diebus, ita vt altera

lac,

lac,altera ſerum adminiſtretur. Ad P.Lucium de febre peticulari;Serum optimè depuratum,& menſura duarum librarum plus vel minus,acceptum,modico mannę adiecto proponit,aſſerens mirificè ſimul,hunc potum aluum ciere,& ignem febrilem egregiè remittere. Quinimò etiam ſi abſque alio medicamine ipſum ſolum,non ſemel adminiſtretur,nihilominus prodeſſe ſemper faſſus eſt experimento;rationem affert: nam ſi aluum ducit,humores incenſos, & putredini paratos exire facit,ſin autem retineatur,per venas diſtributū, ſanguinem bullientem comprimit: hinc per vrinam, & per ſudorem caſtigato prius febrili calore egreditur.

In eodem Tom.3.Conſil. Vtitur ſero in frequenti ſeminis pollutione,& genitalis pruritu,at optimè pręparato,& cum cichorij ſucco pluribus diebus exhibito.In Tom.4.Conſ.6.in cura melancholię. Peracta purgatione, monet vt viginti ſaltem diebus, ſingulo mane ſeri caprilli diligentiſſimè depurati vnc.30.adiectis ſucci boraginis in primo cyatho æger capiat. In Conſ.39.Vtitur ſero caprillo pluribus diebus, ad iocinoris incendium temperandum, nec non ad remittendas inflammationes oris ſtomachi, & quę ſentitur in facie: nec non ad compeſcendam ſalſam deſtillationem.

Ex Hippocrate lib.2.de Morbis num.12.In morbo capitis,vbi quadraginta dies pręterierint, capite eius purgato,prius medicamento exhibito,ipſum deorſum purgato, ſi tempus anni permittit: deinde ſerum ad dies ſeptem bibendum dato, aut pauciores ſi debilis exiſtit.In lib.de internis affect.num.17. In nephritide

pro

pro temporis opportunitate,ſerum,& lac bibit,ſerum quidem ad purgationem. In lib.2.de morbis mul.nu. 12.Veluti,inquit:ex ouo crudo luteo, ſi non adfuerit ſerum;lac aſininum coquito, & exhibito per quatuor dies, ad veſperam eadem faciat,niſi febris noctu corripiat; ſi verò natura fuerit lienoſa, aut flatuoſa,& exanguis,neque ſetum,neque lac bibat, ſed purgantibus inferre vtatur.

Lælius à Fonte purgato corpore venit ad ſerum Caprinum cum rhabarbaro admiſto in cura duplices tertianæ cum hicteritia.Conſ.136.In ſubſequenti diſſerit, ſerum Caprinum haud eſſe exhibendum die 7. rubris maculis,cum vtilitate efflореſcentibus. In Conſil.46.in cura febris malignæ renuit ſerum caprinum, vi ignis extractum : laudat coagulatum Myrabolanis, quemadmodum Auenzoar voluit. In Conſil. 3. proponit ſerum in Peripneumonia.In Conſ. 5. dat ſerum cum ſyr.roſ.ſol.in ſecunda die in febre ardente deſtillatum in balneo maria,ad doſim libr.duarum.In Cōſ. 126.laudat ſerum caprinum cum ſucco borag. in melancholia.In Conſ.54.Serum caprinum cum ſeminibus citri correptum in deſtillatione ſalſa proponit. In conſ.77.in flatibus hipocondriacis. In conſ. 21. in palpitatione cordis.In conſ.23.probat ſerum caprinū in balneo maria deſtillatum adueniente æſtu cum fumaria,boragine,lupulis,& hordeo, nec non & aliqua portione rhabarbari in melancholia hypocondriaca, quod ſaltem per quindecim dies exhibendēdum ſit. In conſ.122.Vtitur ſero caprino cum ſyr.roſ. ſol. in gonorrhæa.In conſ.146.Seri caprini,& aſinini corre-

cti ſemine citri,& chalybeati in catarro, & vrinę ardore vſum proponit.

Ludouicus Mercatus lib.de Morb.mul. cap. 15. in albis vteri purgamentis vtitur in ſero caprino tali decocto. ℞. Cichorij,ſcariolæ,lupulor. fumariæ, borag. añ.m.j.paſſular.& prunor.añ.vnc.j.÷ fol.ſenæ,& medullæ carthami an. vnc.j. ⸗flor.cord.p.1.aniſi drac. 1.quatuor, ſem. maior. frigidor.an. Dracm. 1.÷ fiat decoctio in ſero caprino,cui facta colatura adde ſucci roſ.lib.1.ſucci intybi vnc.4.ſacchari quod ſufficiat, vt fiat apozema: cui iterum adde ſantalor. rubrorum drac.1.rhabarbari drac.4.maximi momenti eſt medicamentum.

Leonarthus Iacchinus vtitur ſero caprino ad purulentum vlcus lienteriæ lib.9.ad Raſim.

Hippocrates lib.2.Epidem.ſect.6.tex. 32. Si hypocondrium,inquit, diſtentum fuerit, comprimere manu,& lauare aquæ recedentis à lacte, octo cotylas bibendas dare. Valleſius in Com. Cotylam capere vnc. 9.ſcripſit:quare Hippocrates ad vnc.72.dabat, neſcio an hoc fuerit maximum incrementum. Ibidem tenet Hippoc.potiones medicamentoſas maiori quantitate dediſſe,quam nunc eſt in vſu. Valleſius autem dedit ad duas cotylas ad expurgandum paulatim, ſummo mane,nunc ſimplices,nunc cum aliqua infuſione.

Alexander Maſſaria lib.3.cap. 10. Praxis med. vtitur ſero ad menſuram lib. quinque forſitan imitatus veteres medicos,qui conſueuerant propinare ſerum in copioſa menſura,nam & hęc erat eorum præcipua ratio,vt teſtatur Galen.in Com.de ſalubri Diæta 18.

nec

nec non 3. Alimem.fac. 15. quam copioſam menſurã Dioſcorides videtur determinaſſe ad libras quinque circiter. Hinc Guarinonus Conſ. 537. vtitur ſero ad lib. duas, quod eſt minimum, maximum verò quatuor, aut quinque pro ſtomachi tolerantia, quoad veterum vſum.

Ego vero in ſeri adhibitione ſemper talibus vſus ſum cautelis. Primò in mollibus corporibus ſemper parciori ſum vſus menſura, quam in duris, & robuſtis, in quibus copioſa requiritur. Secundo Compenſaui ſemper ſeri præparationem, & morbi naturam: vtique ſerum ex coagulis ouillis vel caprillis paratum, potentius eſt ob intenſiorem acrimoniam, quam ſi ſuillo eſſet confectum. At ſi poſt coagulatum lac, bis fuerit, pręter caſeum extracta recocta, atque aqua adiecta, vt aliàs diximus, hoc minimum habebit acrimoniæ, & frigidum, atque humidum erit in dominio. Tertio ſi ſerum propinare opus fuerit, cum alijs medicamentis ſolutiuis tantum ſeri adhibui, quantum pro medicamentorum miſcela ſufficiens apparuit. In decoctionibus autem faciendis, quantum ad decoquendas herbas neceſſe erat vſurpaui. Sic ex voto omnia ſuccedunt.

In æſtiuis temporibus; cum ſero ſimplici vti opus nonnulli habent, in magna doſi exhibent, ad libras quatuor nimirum, vel quinque, more Dioſcoridis. Accipit æger lib. 1. deinde per interuallum placidè ambulat, & alteram lib. potat, & ita ad menſuram quatuor, vel quinque librarum deuenit.

At in partibus noſtris, cum ſerum ægris concedimus,

mus,ſemel tantum in die,ieiuno ſtomacho abſorbent ab vnc. 6. ad decem, vel duodecim. In quo negotio magnopere mihi ſemper placuit Rondoletij opinio in lib. de Ponderibus,& menſuris cap. 22. Qui prima die ſeri vnc. 4. exhibet, & his quotidie ſuperędit vnc. 1. donec ad vnc. 10. vel lib. 1. deueniat. Tunc de maiori quantitate eodem modo ſingulis diebus vnc. 1. de more demere ſolet,donec ad primariam quantitatem redeat. Hic mos commodior eſt mollibus hominibus, & ijs,qui ſerum non aliàs in vſu habuerunt.

Sit tamen omnibus hęc cognita animaduerſio: cũ ſero ad purgationem vti voluerimus. Id potẽtius pręſtatutum,ſi quotidie illud ſub diù pernoctauerit: nocturni enim rores,aluum ſubducendi vim habent. Capiatur ieiuno ſtomacho, purgato tamen corpore, ſi talis fuerit morbus, vt à ſero prius vinci nequiuerit. Proderit cum pauco melle,vel ſaccharo ad ſaporem conciliandum ſumere: ad aluum autem magis fundẽdam cum ſalis drac. 1. vel 1. ſ. Exhibito, lentè ambulet patiens,quouſque digeratur,& ſentiat leuamen, & appetitum; Si ad refrigerandum comparabitur, vel ſuillo coagulo parabitur,vel à lacte bis extrahatur recocta: aquam addendo, loco ſeri conſumpti. Ad ſoluendum autem coagulis caprillo,vel ouillo,aut ligno, vel ſucco ficulneo,aut cnico parabitur. Hoc enim humorum acrium,& ſalſorum ſolutione, corpus ad temperamentum,& ad frigidum commutat,quemadmodum & alia calida ſimplicia facere conſueuerunt.

Seri præparatio ex Dioſcoride.

AD maiorem lectorum commoditatem his addere volui ſeri ex Dioſcoride apparatum, qui & veteribus in vſu erat quotidiano: nec non & Alexandri Maſſariæ, cuius præparatio commodior eſt.

Ex omni lacte fit, quod ſchiſtum, ideſt ſciſſile dicitur; lac autem fictili nouo vaſe feruet, ramoque ficulneo recenti mouetur, inſperſis, poſtquam bis, aut ter ebullierit, totidem accepti mulſi cyathis, quot ſunt heminæ lactis, ita enim ſeroſum liquidum ab eo diuiditur, quod in caſeum concreuit: ſed cum feruet, ne ſuperfundatur, conuenit ſpongia ex frigida aqua continuò fictilis labrum detergere, ſextarium argenteum, frigida aqua plenum demittere. Bibitur heminis per interualla ſingulis vſque ad quinas.

Seri præparandi ratio ex Maſſaria.

ACcipiatur lactis circiter libræ decem, quod proximè emunctum, atque extractum fuerit ab vberibus animalis, quod quidem animal, vt neque id prætermittatur, hoc tempore debet nutriri accommodatis alimētis, hordeo, ſalice, lactuca, endiuia, boragine, cichoreo, & ſimilibus, quę lac poſſint reddere & humidius, & frigidius:

Lac

Digitized by Google

Lac imponitur in vas nouum fictile,ac ſenſim permittitur aliquantiſper ebullire,recenti ramo ficulneo, illud continenter mouendo tum proijcitur in ipſum, vel acetum roſaceum, vel oximel ſimplex ad vnc. 3. ac mulſum,facta leni ebullitione,demum phiala vitrea plena aquæ frigidæ tota demittitur in lac ; cui protinus facta ſeparatione adhæret pars caſeoſa, & ita ſerũ conficitur præclariſſimè.

Ego præparationem particularem haud his apponere volui, nam in ſuperioribus mentem meam ſatis aperuiſſe videor : cum non,in ſeri exhibitione, vnquã ad vnam intentionem animum applicaui,vt & ſcriptores ex particulari apparatu facere vidētur. Cum enim ſoluere diſſimili ratione comparaui, ab ea , quæ refrigerat ſerum.expedierit : at quia hæc pluribus verbis in Opuſculo diſſerui,non eſt, quod iterum illa adducamus.Hoc itaque æqui,bonique conſule.

Finis Opuſculi Secundi .

Digitized by Google

Digitized by Google

IVLII CAESARIS BARICELLI

à Sancto Marco,

Ciuis Beneuentani, Medici Phyſici,

DE BVTYRI FACVLTATIBVS, ET VSV.

OPVSCVLVM III.

Acceſſit de Butyro Chymico non inutilis conuentus.

AGgrediamur vltimam partem inſtituti noſtri, quæ de Butyri facultatibus, & vſu inſcribitur: pars eſt non leuis momenti, & magnæ vtilitatis, hac etenim conſideratione; omnibus lactis partibus complementum facere videbimur. Tetigit has omnes Galenus 10. Simplic. medicam. fac. lac omne ex tribus conſtare eſſentijs, caſeoſa nimirum, ſeroſa, & pingui dicebat.

Sed

Digitized by Google

Sed quis ſtatim contra noſtram poſitionem, & contra Galenum ipſum argueret,dicens,lac non ſolum tribus conſtare partibus,ſed etiam quatuor, hoc medio, lac aliud non eſt,quam ſanguis concoctus : at ſanguis quatuor conſtat partibus,ſanguinea ſcilicet,phlegmatica,bilioſa,& melancholica,ergo ex iiſdem lac debet conſtare : Modò lac conſtat caſeo, tanquam parte melancholica,ſero, vt aiunt phlegmatica, & butyro ſanguinea,ergo deficit pars bilioſa . Huic dicendum in ſero cum parte pituitoſa adeſſe bilioſam,& eius nitroſitatis,& acrimoniæ ratione,illam contemperari,vt & nos contra quorundam medicorum opinionem in Opuſculo de ſero probauimus.Sic ceſſat dubium:nam ſecundum Turiſanum in lacte, tres illæ partes dominantur ratione molis,non autem ratione virtutis, & vigoris. De re hac vide Epiphanium Ferdinandum Theorem.25.& Conciliatorem in loco proprio.

Galenus 10.Simplic.med.fac. cum lactis eſſentias ruminaſſet, Butyrum lactis pinguiſſimam partem eſſe monſtrauit: cuius plurimam, habere Bubulum conſpicitur,ex quo Butyrum conficitur ipſum. Nec ſine cauſa Butyrum nuncupatum, audio, niſi quod à Bubulo principaliter naſcatur: proinde Galenus miratur, quo pacto Dioſcorides ex Ouillo, & Caprillo lacte confici referat: audiuerat enim tantum à Bubulo fieri. Eſt ergo Butyrum pinguiſſima lactis pars, mirorq: admodum Galenum,qui Dioſcoridem reprehenderit, dicentem Butyrum ex Ouillo lacte parari, cum ipſe in lib.de Simplic.medicaminibus[*Si eius liber eſt*] Butyrum ex Bubulo,& Ouillo fieri lacte referat. Emittitur,

tur, inquit, enim in capillam longam, & cum virga, quæ habet in capite rotulam, quæ intra cupam capere poſſit, agitatur diutiſſimè hoc ipſum lac, & fit, vt quod eſt illius pinguiſſimum ſupernatet: quod colligitur, & in vaſculo reponitur.

Voluit Galenus perinde Butyrũ haud fieri ex Oue, & Capra, nam hæc animalia minimum in lacte pinguedinis habẽt, vt 3. Alim. fac. cap. 15. indicauit. Quia autem in Vaccarum lacte plurimum inuenitur, Butyrum ex illarum confici, illudque à Bobus denominationem accepiſſe protulit. At ex Ouium, & Caprarum lacte non modò Butyrum conficitur, verum atque ex Equarum lacte, quod eſt ſeroſius, illud comparatur: vt Herodotus, Hippocratis coetaneus meminit. Hinc Plinius, forſitan Dioſcoridis mẽtem explicans: Butyrum dixit ex Bubulo plurimum fieri, & inde nomen, pinguiſſimum autem ex Ouibus, & Capris parari.

Butyri qualitas calida, & humida in principio primi gradus exiſtit: idcirco facultatis eſt concoquentis, paulum habens etiam digerendi potentiæ, in medijs nimirum corporibus ſecundum duritiem, & mollitiẽ. Hoc voluit Galen. 10. Simplic. med. fac. At vetuſtate calidius, & tenuius efficitur, vt vinum, mel, acetum, & oleum fieri conſueuerunt: vetuſtate enim tum calidiora, tum eſſentiæ tennioris efficiuntur, & proinde guſtantibus acriora apparent: hinc in affectibus adhibita, potentius operantur.

Noſtrates, vt Butyrum conſeruent, cum ſale condiendi in vſu habent: nam vnica hac ratione aſſeruari cognouerunt: qua via maiorem ſibi calorem adſciſcit.

ſcit. Illud autem eſt laudatiſſimum, quod eſt recentiſſimum, & dulciſſimum, atque Ouillo lacte apparatũ. Mundat vehementer, atque pectus thoracem, & pulmonem ab elluuiis purgat, præſertim ſi ex cauſa frigida, originem trahat affectus: Tuſſimque compeſcit. Quia autem vẽtriculum relaxat eius crebrior vſus, & proinde nauſeam excitat, illi pro remedio cibos corroborantes ſuperedendos cenſeo, atque ventriculum adſtringentes. Inter hos laudatum eſt ſaccharum roſatum vetus, vt eius corrigatur malitia.

Butyrum recens, magnam habet cum oleo recenti affinitatem: horum enim conſimiles ſunt effectus. Galenus 3. Alim. fac. 15. Si partem, inquit, aliquam corporis butyro inunxeris, ac fricueris carnes cutim pinguem, non aliter, ac ſi oleo fricuiſſes. Pręterea ſi mortui animalis corium aridum eo inunxeris, eundem cernes effectum. Quinimò homines in pleriſque frigidis regiònibus, in quibus oleo carent, in balneo butyro vtuntur. Cernitur præterea ſi ignitis carbonibus ipſum infundas, non aliter, ac pinguedo flammam excitare. Lege per otium Mercurialem in lib. de Arte Gymnaſtica.

Veteres varia butyri genera habuerunt, at nobiles, & diuites illo, pharmaci potius loco, quam cibi vtebãtur, ſecus villici, vt non immerito Plinius butyrum gentium barbararum laudatiſſimum cibum appellarit. Laudatur apud noſtrates butyrum Calabrum, quod ſæpè dum medicinam facerem Barræ prope Neapolim in menſa guſtaui cum Perilluſtri Domino Thoma Carrafa, in cuius domo per aliquot menſes à ſua libera-

beralitate connutritus,& humanitate detentus fui.

Apud Longobardos in vſu maximo eſt, & in hac Valle Beneuentana temporibus frigidis à quampluribus vſurpatur,quod deſtillationibus emundandis mul tum valere cognouerunt. Et vt ſępè cum Ioſepho de Vito Medico,& Philoſopho eruditiſſimo Bennuentano,meique amiciſſimo diſſerui; illud cum melle, vel ſaccharo aſſumptum, ad craſſos catarrhos vnicum exiſtit remedium: cum ad eorum excluſionem viam ſcilicet prçparando attenuet.Hoc etiam innuit Auerroes 5.colliget cap.46.

Butyrum,quod ex lacte animalium colligitur Plinij auctoritate plurimum è Bubulo fit,cum lac illud multam [*reuoco in memoriam*] habeat pinguedinem, nam & hoc colligitur ex caſeis eorum Prouola, vocatis & Hippacibus,in quibus quaſi oleo commiſtos edimus. At ex ouibus pinguiſſimum fit, & ex Capris. Quod autem ab eodem adducitur lib.11.cap. 41. Barbaras gentes conſueuiſſe lac in iucundum acorem condenſare,& butyrum pingue, quod ſpuma lactis eſſet: nil aliud intelligit,quam Oxigala,& Aphrogala apud Romanos plurimi æſtimatum,& niue refrigerari ſolitum, vt Gal.7. Method. percurrit. Aphrogala autem hodie ſub nomine capitis lactis reputatur.

Carolus Stephanus lib.1. De re agraria cap.13. laudat in Aeſtate butyrum colore flauum, & album vituperat.Secus in hyeme, quando album extollitur, & flauum eijcitur,quod non ſiluit Galen. in lib. de ſimplici medicina ad Paternianum cap.40. quando optimum illud eſſe aſſerit,quod colore ſubrufum, &

V pingue

pingue fuerit. Vide de hac re Antonium Fumanellum de Senum Regimine.

Butyri vſum ab eius facultatibus elicimus, diximus enim facultatem habere concoquentem, cum aliqua potentia digerendi in mollibus, ſeu medijs corporibus: in duris enim vbi fuerint tumores, nequit eos hoc medicamentum digerere. At quæ in mollibus [*hæc ſunt corpora Eunuchorum, mulieris, & puerorum*] ſunt phlegmonæ, vt voluit Galen. 10. Simpl. med. fac. eas & concoquit, & perfacilè digerit. Nam parotidas, inquit, & bubones, & oris phlegmonas, aliaſque partes complures, prorſum illo ſolo curauimus, nimirum puerilibus corporibus, ac mulieribus perpetientibus. Sed & gingiuas puerorum dentientium aſſiduè illitum, nihilo imbecillius melle gingiuas extenuat, per quas exitus eſt dentibus. Et alios omnes in ore affectus phlegmonoſos, poſteaquam fluxio reſiſterit, digerit pariter, & concoquit. Proinde cataplaſmatis inditur, quę extrinſecus imponantur parotidibus, hypochondrijs, & bubonibus. Sed & in ventrem deuoratum; & ex eo diſtributum magnificè confert expuitionibus ex pulmone, idq; in pleuriticis, & peripneumonicis affectibus, cum hoc, quod eos etiam concoquat. Atque ſi ſolum lingatur magis quidem concoquit, verum minus educit, ſin cum melle, & amygdalis amaris plus educit, ſed minus concoquit. Hæc ille.

Dioſcorides lib. 2. Simplic. Butyro vtitur vice olei contra venena aſſumpta. Quod non ſiluit Auicenna lib. 2. Tract. 2. cap. 116. dum ait Butyrum eſſe theria-

cam

cam venenis in potu ſumptis. Eſt oleoſum, & emolliens, vnde largius epotum, ventrem reſoluit; cum melle ſi infricetur dentitiones adiuuat: gingiuarum pruritus, & oris vlcera infantibus emendat. Illitum foris capaciora alimentorum facit corpora, & ab albidis puſtulis per ſumma ſcatentibus aſſerit. Contra inflammationes, & durities vuluæ, quod nec virus reſipit, nec vetuſtatem ſentit butyrum, efficax eſt, dyſentericis, & coli excrutiationibus infunditur. In medicamenta addi ſolet, quæ pus mouent: vtile præſertim, cum nerui, aut cerebri membranę, veſſicæ ceruix vulnera acceperit. Id autem purgat, replet, carnem creat, ab aſpide percuſſis vtiliſſimè imponitur. Pruriginē capitis tollit, & neruorū dolores, vulnera ſordida purgat, & replet, & carnes ſuperfluas creſcere prohibet, atque tumentia vulnera reprimit. Confert vomitui ſanguinis, & ſaniei, quando cum melle lambitur.

Recens obſonijs additum, olei vice penſat, & adipis vice fungitur in bellarijs. At coctum, vel crudum cibis ſupernatat, & ipſos craſſiores, & viſcidos reddit, & cibum ante ipſius coctionem deſcendere cogit. Nec tamen quia recentiſſimum laudatur, ſalitum reijcitur, nam benè compertum eſt, butyrum, vtcumque ſalitum aperiendi, pectuſq; expediendi, qua prędictum eſt facultatem haud deponere imò & valentius agere, cum tantò calidius euadat, quantò fuerit vetuſtius.

Mercatus lib. 2. de ſanit. Claſſ. 2. quęſt. 164. Butyrum boni eſſe alimenti autumat: ſed pauci, ac minimè ſolidi, quod ante cibum cum ſaccharo, & pane gratiſſimus eſt cibus in prima menſa ſumptus: quippè neq;

 obſtruit,

obſtruit, nec lapides generat, neque ita facilè corrumpitur, quod ocyſſimè coquatur. Cuius opinionis fuit Ioſephus Quercetanus in conſ. de Nephritide, vbi butyrum prohibere calculi generationem expreſſit, ſi mane præſertim ſumatur ante omnes alios cibos.

Inſunt tamen in Butyro aliqua incommoda, ne dicam nocumenta: cum enim ipſum ſit calidior lactis pars, & pinguior, atque facilè mutetur, plerunque in bilem maximè cum eo pro condimento vtimur, vertitur. Et quamuis pro alimento non rarò illud vſurpemus, eo quod bonum, & facilè præſtet nutrimentũ, atque cytiſſimè coquatur, nihilominus frequentius vti poſſe, citra ventriculi mollitiem, & laxitatem redarguo. Inſuper licet temperatum ſit, atque humidum primo ordine, & perinde membra omnia æqualiter poſſe nutrire, quod è lacte fiat, tamen non per hoc omnibus, neque ſemper vtile iudicatur: nam qui humidum, & imbecillem ventriculum à natura ſortiti fuerint, vſu butyri lęduntur, quam cytiſſimè. Idcirco poſt illud aſſumptum corroborantia iuuant, vt cidonia, meſpila, ſorba, ſaccharum roſatum vetus, & ſimilia.

Corrumpitur butyrum in ſtomacho à vino plurimo à piſcibus ab ouorum alba parte: idcirco in eius vſu à talibus eſt abſtinendum. At pueris cum pane, & ſenibus cum melle proderit, ſi modicum vini dilutiſſimi, aut aquæ biberint, ita equidem præſtantiſſimũ efficitur medicamentum. Contrà cum illud coctum, aut frixum vſurpatur: ita enim nocuum, & ingratum redditur, vt ſuperius tactum eſt. Quare eius vſus cum cautela, & indicationibus ſit capiendus, ſummaque

ſit

ſit à ciborum principio illud ſecurius ingeri poſſe, quàm in media,& vltima menſa : hac enim cautela multa incommoda euitare poterimus.

Galenus 5.de Simplic.med. fac. cap. 9. cum vellet oſtendere qualia medicamenta pus mouere poſſunt, emplaſtica innuit eſſe : inter quæ butyrum connumerauit,cum lentum,& viſcoſum ſit , ſicuti adeps porcinus eſt,thus , & quod ex farina triticea conficitur cataplaſma , quippe quæ moderatè tum calida , tum humida, & lenta ſunt, pus mouere idonea reputantur: vt confirmauit 4. de compoſ. medic. per genera. cap. 5.& ab hoc concoctiuum, ac digeſtiuum à cunctis iudicatur, quod eſt contra Plinij aſſertionem lib.28.qui recenſens butyri naturam, illud aſtringere , mollire, replere.& purgare aſſeruit; quæ verba ſuſpecta omnimodo iudicātur, tum quia à nullo ex ſcriptoribus proditum eſt,butyrum aſtringendi retinere facultatem, tum etiam,quia inter ſe repugnant mollire , & aſtringere,quare textum mendoſum eſſe puto,& pro aſtringere,digerere reſtituendum exiſtimo, cum præcipua butyri facultas Galeni teſtimonio ſit vis digerendi. Dum 10.Simplic.med.fac.Ea tamen [*dicebat*] ſordes, quæ lanis ouium inhæret,& adnaſcitur ex qua Oetypum,quod vocant,conficitur,concoquendi vim habet ſimilem butyro : paulum verò etiam digerentis facultatis obtinens.Hæc ille.

Hinc propter eius dotes in arteriæ principijs inflammationum,butyro vtitur,eo quod ſit leniſſimum medicamentum. Propterea in 7.de Compoſ. medic. per loc.cap.1.& in lib.de ſimplic.medic.ad vulnę dolores,

lores;& tumores,& loca neruoſa,& delicata, & ad ſiccitatem Pulmonis propriè videri facere ſcriptum reliquit.

Ex quibus adductis benè noſcimus conſultè medicos illos agere;qui ad ſiccata liquanda, & ad tumores emolliendos, ad butyrum, tanquam ad electum medicamentum confugiunt, bene rati tum ſimplici, tum admiſto vti poſſe,vt ipſemet Galenus 7.de compoſ.med.per gener.cap.9.ex butyro,cera,adipibus, & oleo relaxante compoſita medicamenta, parat emollientia: quibus Diachylon apud Pharmacopolas apparatum fuiſſe noſcimus: nec non & alia vnguenta, quę in eorum Antidodarijs legenda remitto.

Vſurpatur ergo Butyrum,tum vt nutrimentum, tũ vt medicamentum,& intrinſecè,& extrinſecè in corporibus. In internis remedijs Lhoach conficiuntur, dupla quantitate ſacchari addita. Eius proinde Doſis eſt ab vnc.ſem. ad 4.ſem. Non enim aſſumitur vna doſi,ſed quantum baculo glycyrizzę apprehendi poteſt, lambendo, vel quantitate fabę. In linimentis, vnguentis,acopis, ſuppurantibus, mollientibus, & relaxantibus ab vnc.1.ad multas apponi ſolet, pro remedij quantitate. Vt Rondoletius lib.de Ponder. & menſur.cap.24.verba fecit.

Cum autem, vt nutrimentum vſurpatur ex ſuperius adductis benè noſcere poterimus, tum vtilitates, tum nocumenta, quæ à Butyro ſuccedere poterunt. Illud autem multoties in obſoniis apparatur, & ex eo craſſus cibus reſultat, vt Galenus in 5. de ſanit. qui placentes ex butyro, & ſimilagine, peſſimum cibum

fieri

fieri docuit,niſi mel illæ recipiant,quo tanti cibi malitia corrigitur. Omitto multos apparatus, qui ex butyro conficiuntur à coquinarijs,cum ij apud eorum libros plurimi legantur.

Sed non eſt ſilentio pertranſeundum; quod à Dioſcoride lib.2.ſimpl. de Fuligine butyri ad reprimẽdos fluxus,& ad conſolidanda oculorum vlcera adducitur: Quia autem remedium iſtud hodie nullius eſt vſus, ad eundem remitto lectorem;ſatis ſit,me de illo mentionem feciſſe.

Quia autem vltimam manum huic Opuſculo imponere optamus; in gratiam Chimicę artis ſtudiorũ, quæ à butyro à prçclariſſimis quibuſdam auctoribus extracta fuerunt, in medium adducere non recuſauimus: ita profectò videbimur nihil intactum reliquiſſe, quod poſteritati prodeſſet, & in tali Opuſculo poſſet deſiderari.

Oleum Butyri.

BVtyrum prius in vino albo liquefactum, inijciatur in elembiccum, ſubijciaturq; ignis mediocris. Deſtillabit oleum valde anodynum, ad omnes dolores ſedandos.Ex lib.1 Butyri habebis vnc. 10.Ex Quercetano.

Digitized by Google

Oleum Butyri ex Rubeo.

BVtyrum deſtillatum maiorem tenuitatem acquirit, ac penetrationem, qua expectorare humores, pulmonemque expedire, & coquere etiam cruda poſſit. Deſtillatur autem cucurbita retorta, cum parum poſſit aſcendere, faciliuſque aſcendit cum alijs rebus iungitur, vt ij faciunt, qui nimia macie extenuati pingueſcere ſtudent. Accipiunt enim butyri recentis lib.2.anatis, & capi carnem, quæ in lib.20.aquæ ad dimidias decocta fuerit, vnà cum ipſo iure,in quo albiſſimi panis medulla infunditur, modicoque ſacchari adiecto vitreis organis aquam eliciunt: plerique plura addunt, vt res magis minuſue poſtulat.

Ipſæ etiam mulieres ſtillatitio butyro faciem, manus,pectuſque inungunt,vt ne rugas contrahant, cutimque emolliant: tamen ipſæ quoque orixam in pedum Vitulorum iure decoctam, panisque micam lacti infuſam,ouorumque candida cum corticibus, & huiuſce generis nonnulla adiungunt,ſimulque deſtillant,vt iuuentutis ſpeciem mentiantur. Plurimum autem ſtillatitius butyri liquor, venenis præſertim erodentibus aduerſari creditur, quod ob tenuitatem penetret, facileque cum veneno miſceatur, & eius acrimoniam, ac malignitatem, motumque ob pinguedinem, atque vnctuoſitatem compeſcere poſſit.

Ad

Digitized by Google

Ad neruorum vlcera, & vulnera vtiliter etiam adhibitur.

Butyrum Camphoræ.

IN patellam palmo minorem altam colloca Camphorã; impone ei alembiccum cœcum amplum, vt ambiat patellam habens foramen anguſtum in ſummo: admoue prunas patellæ, ita vt Camphora fumum craſſum emittat. Is conſiſtit in alembicci lateribus inſtar albi butyri. Cum videris latera obducta, muta alembiccum: itaque procede deinceps donec ſatis. Oleum collige per pennas,& ſerua.Ex And. Libauio.

Virtus eius, vt ex Penoto Aquitano, colligitur omnem calorem renum tollit illita: Valet in doloribus calidis. Rubones cum ficu reſoluendo conſumit, & gonorrhæam vetuſtiſſimam curat.

Oleum, ſeu Butyrum lactis.

OLeum lactis fit ex cremore eius, facta digeſtione in fimo, & facta deſtillatione Chymico artificio. Ex Libauio.

Digitized by Google

Butyrum Arſenici fixum.

MAgna in butyro arſenici fixo eſt vis ad venenata,& maligna vlcera curanda: fit autem hoc modo. Cryſtallinum arſenicum prius ſublimatum cum ſolo colchotare [*quod venenum ipſum retinet*] commiſce cum æquali pondere ſalis tartari,& ſalis petrę, omnia intra duos vrceolos impoſita fixentur; ſubijciendo ignem 14.horarum ſpatio, primò lentiſſimum, tum ſummi gradus. Inuenies materiam fixam albiſſimam,& perlarum referens colorem, quam in aqua calida ſolues,vt inde alchali extrahere poſſis. Puluerem,qui ſubſederit imbibe oleo Tartari,vel quod melius eſt talci,& exicca ad ignem: idque ter facias. Rurſus materiam in calida diſſolue,vt ſalem eximas,& remanebit puluis candidiſſimus,& fixus,qui in loco humido reſoluetur in oleum pingue butyri inſtar anodynum. Ex Quercetano in Sclopettario.

Lac, ſiue Butyrum Sulphuris.

LAc,vel Butyrum Sulphuris ex floribus Sulphuris prępáratur,modò diſſoluantur in oleo,quod ex reſolutione ſalis ſulphurei,ex principali vegetabili, tartaro ſcilicet vini conficitur, in quo ſi diſſoluti prædicti flores fuerint: ilicò in lac,vel butyrum candidum reducuntur, ea tamen cautione, vt paulatim acetum album minimè deſtillatum ſuper affundatur. Dum verò acetum iſtud affunditur, fit magna confeſtim ebul-

Butyrum Antimonij.

R Antimonij Vngarici, Mercurij ſublimati an. lib. 1. terantur, ac miſceantur diligenter; & in retorta vitrea luto abducta in arena mediocri igne deſtillentur, tũc liquor Butyri inſtar, ſeu glaciei egreditur, ſi concreſcit in collo retortę, vt ſæpè fieri ſolet, tunc admota pruna forcipe comprehẽſa liqueſcat, ne obſtructione impediatur deſtillatio.

Hunc liquorem vulgo vocant Mercurium Vitæ, cum tamen ſit ſummè corroſiuus, & fuerunt quidam ita temerarij, qui cum illo impunè luſerunt de corio humano.

Si aqua calida illi affundatur, tunc ſalia corroſiua reſoluuntur, & flores albi petunt fundum, qui diligentiſſimè ab omni ſalſedine multoties aqua calida edulcorandi. Ille puluis ſiccus ſeruetur ad vſum medicum, & in complexionibus fortibus exhibetur maiori cum ſucceſſu intra corpus: quam vulgare Antimonij flores albi per ſublimationem præparati.

Qui Butyrum illud Antimoniale prius volet rectificare, antequam aquam affundat, & liberum eſto: ita enim habebit flores candidiores. Num in Chimia aliquid prꝍſtare poſſit hoc oleum, iudicent ij, qui illud cum auro radicaliter ſoluto fermentare, & per totam philoſophiam, ſecundùm artem requiſitam deducere norunt.

Vſus,

Vſus, & vires.

IN peſte, capitis morbis. Febribus, ſi forte moueant vomitum, non formidari debet, Lue Venerea. Lepra, Hydrope, vbi plerunque ſine vomitu per inferiora ſuas operationes perficit. Vlceribus malignis.

Doſis.

DVo, tria, vel quatuor grana cum Panchymagogo, vel conſerua roſarum, violarum, vitello oui, ſyrupo cidoniorum. Obſerua diligenter, vt ſemper poſt omnem purgantis Antimonij exhibitionem te in lecto contineas, & paulo poſt ſumptionem, ius ſorbile ſumas: ita minori moleſtia euomas, quam ſi ventriculum habeas vacuum. Reiteretur hauſtus iuſculi, aut cereuiſiæ calidæ, bis, ter, quater, ſi opus fuerit.

Ex *Crollio in Baſilica.*

ADducerem quamplurimas huius electiſſimi ſcriptoris præparationes, quas ſub nomine Butyri edidit. Vt Butyrum ſciſſile vini Alcohol. ſiue Butyrum perlarum. Lac ſulphuris. Butyrum Saturni, &c. Sed remitto Chymicum lectorem in Baſilicam ipſius Crollij, ne ipſe videar potius de

Chy-

Digitized by Google

Chymicis, quam de promiſſis inſtitutis pertractaſſe. Et hęc omnia ſint ad laudem Dei, & Sanctiſſimi Ioſephi mei in Cœlis patroni.

Finis Tertij, & Vltimi Opuſculi.

Imprimatur.

Lælius Taſtius Vicar. Generalis.

M. Fr. Felix Milenſius Aug. Dep.

M. Fr. Philocalus Caputus Carmel. Theolog. Dep.

N E A P O L I,
Ex Typograpbia Lazari Scoriggij. M DC XXIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

·MO

1971

Digitized by Google